





DE
FONTIBUS ET CONSILIO
PS.-ISIDORIANAE COLLECTIONIS.

COMMENTATIO
IN
CERTAMINE LITERARIO
CIVIUM
ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
DIE IV. JUNII MDCCCXXXII.
EX DECRETO
VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS
PRAEMIO REGIS MUNIFICENTIA CONSTITUTO ORNATA.

AUCTORE
FRIDERICO HENRICO KNUST,
LINDA-HANNOVERANO,
SEMINARII REGII HOMILETICI ET CATECHETICI SODALI.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim!

GOTTINGAE,
TYPIS DIETERICHIANIS.
MDCCCXXXII.



JUDICIUM VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS.

Commentatio Ordini se commendavit et diligentia rara et insigni, qua conspicua est, et judicio, quo auctor utitur, subacto et sobrio. Inprimis illa commentationis pars, qua in fontes Pseudo-Isidori inquiritur, laudem maximam meretur, quum auctor non contentus, ea, quae alii hac de re invenerint, colligere, rem totam a principio repetierit, ipsosque fontes eximia diligentia et assiduitate evolvendo multa accuratius ex iis constituerit. In altera parte, qua de consilio Pseudo-Isidori disserit, caute quidem et circumspecte aeque ac scite et intelligenter rem suam agit, multaque laudabiliter exponit: sunt tamen, quorum desiderium nobis reliquit. Praecipue optandum fuisset, ut auctor ea, quae Pseudo-Isidorus prorsus nova in ecclesia instituta voluit, clarius uno in conspectu posuisset, summam consilii magis in lucem protulisset, atque inde ad singula illustranda progressus esset.

THEOPHILO JACOBO PLANCK

ORDINIS GUELPHORUM EQUITI

THEOLOGIAE DOCTORI

EJUSQUE IN ACADEMIA GEORGIA AUG. PROF. PRIMARIO

BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS SUPERIORIBUS

MONASTERII BURSFELDENSIS ABBATI

ECCLESIARUM PRINCIPATUS GOTTINGENSIS SUPERINTENDENTI GENERALI

ET

JO. CAROL. LUDOV. GIESELER

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTORI

HUJUSQUE IN ACADEMIA GEORG. AUG. PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

SOCIETATI HISTORICO-THEOLOGICAE LIPSIENSI

ITEM GUESTPHALICAE PRO HISTORIA PATRIA INDAGANDA

QUAE MINDAE EST ADSCRIPTO

DUUMVIRIS DE ECCLESIAE HISTORIA MERITISSIMIS

FAUTORIBUS QUAM MAXIME VENERANDIS

PRAECEPTORIBUS PIE COLENDIS

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM SUUM

GRATI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Provida solersque nefandissimorum hominum natura, quovis fere tempore infaustam suam contra alios exercens vim, nulla efficacior, nulla perniciosior exstitit aetate, quam qua famosus iste maleque versutus impostor, qui sub Isidori persona tam diu latuit, magno doctrinae apparatu, magna nequitiae fraudisque mole instructus, omni abjecto pudore fronteque ferrea, ad hominum libertatem labefactandam vel in unius tyrannicae auctoritatis gratiam penitus exstinguendam, infaustas suas decretales excogitavit, cudit fabricatasque in lucem emisit.

Quemadmodum vero illorum haud sine magno dolore contemplamur ingenium, qui homini crudeli cum gladio etiam jus quoscunque velint jugulandi tradunt, ita istius nos maxime miseret, qui, etsi fortasse haud de industria, hominibus dominandi cupidissimis, in omnes, quos velint, servos, libertos, ingenuos, reges, imperatores non solum dominandi, sed etiam penitus eos comprimendi jus praebet atque licentiam. Haec animo volvens et commotus quaestione a Venerando Theologorum in Academia Georgia Augusta Ordine civibus academicis ita proposita:

> *Quum satis constet, decretalium illam collectionem quae Pseudo-Isidori nomine appellari solet, esse suppositam, Ordo postulat, ut ratione habita et ipsarum decretalium argumenti, et temporis illius, quo compositae sint, accurate examinetur, tum, quibus consiliis, tum, quibus fontibus impostor ille in adornandis istis praestigiis usus sit.*

hac igitur propositione commotus opus illud, cujus auxilio plures Servi Servorum Dei jura divina atque humana laeserunt perverteruntque, examinare susceperam, et commentationem de Ps.-Isidori fontibus ac consilio Ordinis judicio tradere ausus eram.

Jam cum digna judicata sit, quae praemio Regio ornaretur, jussu Ordinis, lautaque ejus munificentia adjutus opellam meam typis excusam in publicum edo, talem, qualem antea scriptam Ordini tradideram.

De ipsius operis mei ratione haecce praemonuisse sufficiat: Quaestionem propositam presse secutus ex tota materia, eademque satis magna, ea tantum, quae ad quaestionem solvendam necessaria essent, edidi; nihil ergo de indiciis imposturae, nihil de fraudis detectae historia, nec de propagatione decretalium deque iis, quae per eas effecta sunt, adjeci. At quum neque de fontibus, e quibus haustum, neque de fine, quo tendit istud opus, quidquam ad liquidum possit perduci, nisi antea disceptatum sit, quibus constet partibus, quo sit loco, quo tempore scriptum, quo tandem auctore in lucem emissum, de singulis hisce capitibus in prolegomenis quae necessaria viderentur exposui. Neque porro de consilio auctoris quidquam agi potest, nisi antea operis ejus argumentum vel brevissime sit indicatum; cum argumenti dein expositione enarratio fontium fortasse potuisset conjungi; sed tum lector fontes, quos accuratius inspicere vellet, hinc inde denuo sibi colligere debuisset: cuique igitur materiae fontes generatim subjicere, quo melius elucerct, quibus in hoc vel illo argumento potissimum usus fuisset libris, et alio loco secundum seriem falsorum documentorum singulos deinceps enumerare, quibus Labbei simul et Mansi errores corrigi et Blondelli studia in nonnullis locis emendari et ad finem perduci possent, omnium maxime placuit. Consilium denique impostoris, temporis illius, quo scripsit, ratione habita, in altera commentationis parte exposui.

Jam vero non diffiteor, me, si fieri potuisset, nonnulla et emendatarum fuisse et accuratius etiam expositurum; sed longo ab alma Georgia Augusta ejusque opibus literariis sejunctus terrarum spatio, nihil mutare potui; spem vero, fore ut Deo adjuvante alias alioque loco illa corrigere et omissa proferre mihi liceat, nequaquam abjeci, novam et integram operis Ps.-Isidoriani editionem aliquando paraturus. Viris autem amicissimis, qui quod mihi negatum fuit, pro sua parte fecerunt, et hocce opusculum meum summo studio atque indefesso labore typis excudi curaverunt multisque erratis liberaverunt, et Deo Optimo Maximo, qui illos mihi amicos adduxit, gratias ago ex intimo pectore quam maximas.

Scribebam Goldingae in Curonia die XXVIII. Octobris anni MDCCCXXXII.

CONSPECTUS OPUSCULI.

PROLEGOMENA.

§. 1. De collectione Ps. - Isidori. . . . . . . pag. 1.
§. 2. De patria hujus operis. . . . . — 7.
§. 3. De tempore, quo scriptum sit. . . . . . . — 10.
§. 4. De ipsius auctore. . . . . — 13.

Pars I.

De fontibus, e quibus Ps. - Isidorus in adornandis decretalibus suis hauserit, et de harum argumento.

Caput I.

De fontibus indagandis et de ratione, qua Ps. - Isidorus iis usus sit.

§. 5. 6. Quaeritur, quamnam navarint operam viri eruditi fontibus indagandis, et num omnes, quos indagarunt, tales habendi sint. . . . pag. 16.
§. 7. Quaeritur, quomodo Ps. - Isidorus fontibus suis usus sit. . . . — 18.

Caput II.

Exponitur forma et argumentum falsarum decretalium et fontes earum generatim indicantur.

§. 8. a. De forma falsarum decretalium. . . . . . pag. 20.
b. De argumento ipsarum.
§. 9. α. De materia dogmatica. . . . . . . — 22.
§. 10. β. De materia morali. . . . . . . — 23.
§. 11. γ. De fundamento historico. . . . . . . — 25.
§. 12. δ. De materia, quae spectat ad jus et institutiones Ecclesiae. . — 29.

Caput III.

Fontes secundum seriem documentorum accurate enumerantur.

§. 13. Inde a Clemente usque ad Melchiadem. . . . . pag. 33.
§. 14. Inde a Melchiade usque ad Gregorium Magnum . . . — 65.

Pars II.

De consilio impostoris, temporis, quo scripsit, ratione habita.

Caput I.

De consilio indagando et de diversis eruditorum hac de re sententiis.

§. 15. Quaeritur, quomodo consilium impostoris possit indagari. . pag. 85.

§. 16. Expenduntur virorum doctorum de ejus consilio sententiae. . — 86.

Caput II.

Exponitur consilium impostoris, temporis, quo vixit, ratione habita.

— Consulere voluit ecclesiae suae ejusque ministris. —

§. 17. a. Consulere voluit ecclesiae suae. . . . . pag. 89.

b. Consulere voluit ministris ecclesiae.

§. 18. α. Clericis canonicis. . . . . . . — 91.

§. 19. β. Episcopis. . . . . — 92.

§. 20. γ. Archiepiscopo Moguntino. . . . . . — 98.

PROLEGOMENA.

§. 1.

De collectione Ps.-Isidori.

Casu quam maxime deplorando codex quidam Hispanicus, cujus auctor sive collector Isidorus, celeberrimus ille Hispalensis episcopus, fuisse ferebatur, in hominis impudenter mendacis, quem Pseudo-Isidorum vocamus, incidit manus. Cui quidem collectioni, quae duabus constabat partibus, quarumque prior canones conciliorum Graecorum, Africanorum, Gallicorum et Hispanicorum, altera vero decreta quorundam praesulum Romanorum continebat [1]), tanquam fundamento suas intulit impostor merces. Ante memoratos enim canones haud exiguum numerum decretalium antiquissimis pontificibus Romanis inde a Clemente I. usque ad Melchiadem affictarum, posuit, tum canones ipsos intactos relinquens secundam partem permultis auxit et genuinis et falsis documentis [2]) eamque usque ad Gregorium juniorem perduxit. Hinc igitur recte colligitur, veram Pseudo-Isidori collectionem, sicut et ipse in praefatione indicat [3]), ex tribus constare partibus. Quae etsi

---

1) cf. descriptionem hujus collectionis apud Ballerinos: Opp. Leonis M. T. III. append. praef. part. III. cap. IV. §. 11. n. 5. et in Gallandii sylloge comment. Tom. I. p. 503 sqq.

2) cf. Baller. l. c. et Spittlerum „*Geschichte des kanon. Rechts bis auf die Zeiten des falschen Isidor*" Halle 1778. p. 243 sqq. et in Spittleri Opp. T. I.

3) „In principio vero, inquit, hujus voluminis, qualiter apud nos concilium celebratur, „posuimus; denique propter eorum auctoritatem ceteris conciliis praeposuimus „canones, qui dicuntur Apostolorum, (I) deinde quarundam epistolarum decreta „Apostolicorum inseruimus, i. e. Clementis usque ad Sylvestrum papam; (II) post-„modum vero Nicaenam synodum constituimus propter auctoritatem ejusdem magni „concilii; deinceps diversa concilia Graecorum et Latinorum, sive quae antea, sive „quae postmodum (sc. post concil. Nicaen.) facta sunt — posuimus, (III) subji-„cientes etiam reliqua decreta praesulum Romanorum (inde a Sylvestro) usque ad „Gregorium II. —"

omnia in ea, quam Merlinus publici juris fecit [4]), inveniantur collectione, multis tamen additamentis aucta cognoscuntur, si cum duobus antiquissimis codicibus (scriptis 858—867.), quorum descriptionem Ballerini et Spittlerus [5]) nobis exhibuerunt, ea comparaveris. Singula vero documenta, quae ex officina Ps.-Isidori prodierunt, hoc loco enumerare, longum vel etiam superfluum est, quippe quae infra (Part. I. cap. 3.) omnia deinceps invenies; at valde necessarium duxi, de iis, quae dubiae sunt fidei, quam brevissime potui, jam nunc disserere. Regulas, ad quas judicium meum hac in re dirigerem, mihi proposui has:

1° consule tempora et ingenium scriptoris, cui hoc vel illud adscribitur;

2° consule antiquissimos Ps.-Isidorianae collectionis codices manuscriptos;

3° consule collectiones canonum Ps.-Isidoro antiquiores;

4° quod falsum et commentitium reprehendis, compara cum argumento falsarum decretalium, et

5° vide, num ex iis, qui Ps.-Isidoro usitati fuerunt, haustum sit fontibus.

His regulis ducti

1° a Ps.-Isidoro non conficta esse dicimus:

a. eam partem primae Clementis epistolae, qua ipsa incipit, usque ad verba „Poenitemini etc." Haec enim pars, sic dicta prima Clementina, ea est spuria epistola, quam anno 442 patres concilii Vasensis cap. 6. laudarunt quaeque libris recognitionum Clementis tanquam exordium serviens una cum his a Rufino [6]) ex Graecis translata fuerat. Constantius primum Latine et Graece eam edidit [7]);

b. magnam laciniam secundae Clementis epistolae, scilicet ab initio ejus usque ad verba „Ideoque tam juvenes quam senes" — et in fine ejusdem epistolae verba haecce „His ergo bene parete" et quae sequuntur. Quae quidem omnia, sic dicta secunda Clementina, jam ante Ps.-Isidorum Clementi afficta erant, nam in codice Colb. 3368. [8]), Ps.-Isidoro antiquiore, sub titulo „Epistola S. Clementis de domini sacramentis" jam leguntur [9]).

---

4) J. Merlini Tom. prim. IV. conciliorum generalium, XLVII. concil. provinc., decrett. LXIX Pontificum ab Apostolis usque ad Zachariam I. Isidoro auctore. Paris. 1523. fol. — Colon. 1530. Paris. 1535. 8.

5) Ball. l. c. p. III. cp. VI. §. 5. Galland T. I. p. 542. Spittler l. c. p. 221 sqq.

6) cf. Rufini epistolam ad Gaudentium Brixiensem episcopum libris recognitionum praefixam.

7) In libro celeberrimo: Epistolae Romanorum pontificum T. I. Paris. 1721. fol. Appendic. Col. 3 sq.

8) cf. Constantini praefat. ad librum laudatum n. 101. sive in Gallandii sylloge commentt. T. I. p. 96.

9) Fratres Ballerini primum eam ediderunt in Append. ad Leonis M. Opp. T. III. (674—677.). Rufinum hanc quoque epistolam latinitate donasse, ut Ball. volunt, probari nequit.

c. Constitutum Constantini M. — Theinerus [10]) opinatur, hanc famosam donationem a Ps.-Isidoro esse confictam, sed nullo allato argumento. Blascus, qui bene sentit [11]), hoc documentum vel propter stilum Ps.-Isidori commentum non esse, in hoc errat, quod longe post hunc fraudatorem vult fabricatum. Etsi enim est incertum, num prius Latine an Graece scriptum sit [12]), hoc tamen certum, id ipsum et ante Ps.-Isidorum confictum, quia in codice Colbertino 3368 jam invenitur [13]), et ab initio a Ps.-Isidoro in suam collectionem esse transmutatum; nam Codd. antiquissimi hujus collectionis, Codd. Vatic. 360 et 361., eo minime carent.

d. Regulam formatarum epistolarum a Ps.-Isidoro fabricatam censet Blascus [14]), quia illa, si jam antea extitisset, certe in praefatione sua impostor usus fuisset. At, quidnam vetabat, ne illam, sive suum, sive alius cujusdam fraudatoris sit opus, illo, quo Blascus vult, poneret loco? Auctorem hujus regulae Ps.-Isidorum non esse, docent Codd. Mssc. eo antiquiores, scilicet collectio Quesnelliana, Hispaniaca, Acheriana, in quibus eam reprehendimus. Causa vero, cur Ps.-Isidorus eam post concil. Chalcedonense collocaverit, nulla alia est, nisi quod in collectionibus antiquis illo ipso loco positam invenit [15]).

e. Innocentii epistolam 12 ad Aurelium Constantius [16]) a Ps.-Is. suppositam vult, quia in codicibus quibusdam illo antiquioribus eam minime invenerit; sed Ballerini demonstraverunt, Constantium codices mendosos nactum fuisse, quum ipsi talia ejusdem generis inspexerint, in quibus illa epistola revera legatur [17]).

f. Gregorii M. epistolam ad Secundinum ab eodem impostore interpolatam esse, idem censet Constantius [18]). Hanc vero epistolam, qualis est, jam Paulus diaconus [19]), quem anno 801 animam efflasse constat, habuit, ergo e Ps.-Isidori cerebro non prodiit; huc adde, quod interpolatio stilum ejus minime sapit.

---

10) De pseudo-isidoriana Canonum collectione dissertatio histor.-canonica. Wratislaviae 1827. p. 84.

11) Commentatio de collect. Isidori, apud Galland. T. II. p. 13.

12) Gieseler *Lehrb. der Kirchengesch.* 3. *Aufl.* *S.* 159 *u.* 160.

13) Constant. n. 103. sive apud Galland. T. I p. 97. — Ballerini l. c. P. II. cp. VIII. n. 3. 4. P. III. cp. VI. §. 5. n. 19.

14) l. c. p. 14.

15) cf. Constant. n. 141. sive apud Galland. T. I. p. 129. Baller. P. III. cp. IV. §. 2. n. 5. Galland. T. I. p. 505.

16) l. c. n. 153. ap. Galland. l. c. p. 141.

17) l. c. P. III. cp. IV. §. 2. n. 6. Galland. T. I. p. 511.

18) l. c.

19) cf. Gregorii M. Regest. ex edit. Benedictinorum lib. IX. indict. II. cp. 52. Ballerini l. c. Pars IV. cp. 8. n. 4. apud Galland. p. 621.

2° Ps.-Isidoro jure adscribenda sunt:

a. *Excerpta quaedam e synodalibus gestis Sylvestri;*
Synodus Romana sub Julio (ap. Mansium T. 2. col. 1269—1271.).
Synodus V et VI. sub Symmacho [20]).

Haec enim documenta ab ingenio [21]) et genere scribendi Ps.-Isidori plane non diversa, quin ex usitatis ipsi fontibus hausta [22]), in omnibus iisque antiquissimis fraudatoris collectionibus, non tamen in genuinis eoque antiquioribus codicibus, inveniuntur [23]). Blascus vero, „Excerpta" illa eam ob causam Isidori istius commentum esse negat [24]), quia in legibus Longobardorum quaedam his excerptis haud absimilia, ex „epilogo Sylvestri" hausta, fuerint laudata. Sed Blascus nullo argumento probat, hunc epilogum eundem esse atque illa excerpta. Ps.-Isidorus e gestis sive e constituto Sylvestri excerpens superfluum sane duxit, gesta ipsa suscipere, et revera in collectionibus ejus illa tantum excerpta, nihil amplius, reprehendimus; Hincmarus quoque Remensis [25]) in suo codice Ps.-Isidoriano nihil nisi excerpta illa invenit. Quomodo igitur quis haec excerpta epilogum nominaverit, quum nihil sit, cui tanquam epilogus postponi potuerint, non video. Veri ergo est simillimum, Ps.-Isidorum et leges Longobardorum ex eodem hausisse fonte.

b. *Epistola Urbani,* V^ta^ *Damasi,* I^ma^ *Felicis* IV., *Joannis* III. ex opinione Blasci [26]) ad Ps.-Isidorum non pertinent. Suam enim praeconceptam sententiam de tempore, quo fraudator iste scripserit, stabiliri aliter non posse bene sentiens, nisi suspectas redderet laudatas epistolas, valde anxius animi, eas modo interpolatas, modo a Ps.-Isidoro non confictas esse censet [27]). Quum in concilio Metensi anno 888 celebrato tantum ep.

20) Baller. P. III. cp. 6. §. 2. 5. Galland. T. I. p. 533. 548. Blasci commentt. l. c. c. 4. p. 29. n. 1.

21) Nihil in illis invenies, quod non cum ceteris Ps.-Isidori figmentis concordet; quin in Synodo V. sub Symmacho fingit, hunc papam ea, quae in praecedentibus falsis epistolis excogitata erant, firmasse et corroborasse. „Non ergo, inquit, necesse est, super his nova cudere, sed vetera recitare atque firmare", et tum profert longam laciniam, quam Eusebio (ep. 2.) affinxerat, denique eo usque impudentiae progreditur, ut nomina eorum, qui hanc synodum firmassent, maxima ex parte describat e concilio Chalcedonensi.

22) cf. P. I. hujus commentat. cp. 3.

23) Scilicet in Codd. Vatt. 360. 361.

24) l. c. p. 12.

25) Hincm. Rem. opusc. (adv. Hinc. Laud.) 48. n. 21. T. II. p. 793. ex edit. Lut. Paris. 1645.

26) l. c. p. 40—42.

27) Hanc opinionem etiam Theinerus sibi arrogavit totamque ad verbum descripsit pg. 47. 48., idem ille, qui quavis fere pagina eos viros — nec non Spittlerum nostrum, virum per totam vitam unice veritatis eruendae studiosum — vehementer increpat, qui in aliorum etsi veras sententias discesserunt, quum ipse non solum hoc commiserit vitium, verum etiam integras paginas ex libris aliorum descripserit alter Ps.-Isidorus; ex. gr. pg. 3. 5. 9. 31. 32. hausit ex Ballerinorum commentatione; p. 6. 15. 16. 19. ex Constantii dissertatione; p. 9—13. 14. 19. 20. 21. ex commentat. Blasci etc.

88 Leonis et 5 Damasi allatae sint, non vero ea Joannis III., statim hancce post annum memoratum natam esse vult; sed quam levis sit haec ratio, quisque videt. Dein asserens, illas, neque minus ep. 88m. Leonis, quae omnes de chorepiscopis agunt, suspectas vel a Ps.-Isidoro non conflatas esse epistolas, ipse sibi repugnat, quum Ps.-Isidorum chorepiscopos exstirpare vel saltem compescere voluisse, postea doceat[28]). Profert denique in concilio Charisiaco aliqua ex his epistolis aliter citari fragmenta, quam in nostris codicibus exhibeantur, luce ergo esse clarius, post hoc concilium eas esse interpolatas. At idem concilium ad libitum ea exscripsisse dicas necesse est, si haec perpenderis. Citat nempe concilium illud ex ep. 1. Anacleti (p. 110. ex ed. Blondelli) verba „Et qui abstulerit — sacrilegium facit" a Ps.-Isidoro ex ep. 19. Bonifacii Moguntini hausta; sed plures praetermittit phrases; quisnam, quaeso, jam putabit, aliquem studiosum post memoratam synodum hunc locum ex ipso fonte, Bonifacii nimirum epistola, interpolasse? Quin omnes hae epistolae non solum in antiquissimis Ps.-Isidori collectionibus, Codd. Vatt. 360. 361., verum etiam tales, quales eae, quae nobis notae sunt, inveniuntur; quum vero nullus hucusque codex e pulvere bibliothecarum protractus sit, in quo hae opinatae interpolationes desint, miraculorum sane maximum esset, si quis omnes codices interpolasset.

c. *Leonis ep. 88., Felicis ep. ad Gregorium Magnum* et *rescriptum Gregorii ad eundem*[29]).

Hanc epistolam ad Ps.-Isidorum pertinere, negant Gussanvillaeus[30]), Benedictini[31]) et Ballerini[32]), primum quia Joannes Diaconus in vita ejusdem Gregorii l. II. cp. 17. eam laudaverit. Blascus deinde, si quis dicturus esset, Joannem Diaconum e Pseudo-Isidoro hausisse, hoc verisimile non esse docet illumque ex Egberti episcopi Eboracensis „canonum excerptionibus" descripsisse putat[33]); sed omisso illo argumento, quod opera Egberti in Italia, praesertim Joannis temporibus, minime nota, illae vero excerptiones post Ps.-Isidori tempora[34]) factae fuerint, quomodo, quaeso, Blascus probabit, illud apud Diaconum fragmentum (nam parvam tantum laciniam, non totam epistolam citat) Ps.-Isidori commentum non esse? Porro Benedictini hanc epistolam Gregorio dignam judicant, quia, etsi quaedam in ea aut ex epistolis aut ex libro regularum pastoralium Gregorii repetantur, hujusmodi tamen repetitiones ei sint familiares. Contra hanc epistolam neque Gregorio nec disci-

---

28) l. c. p. 55. 56.
29) In editione Benedict. St. Mauri l. XIV. ep. 16. 17.
30) Apud Benedictinos l. c.
31) l. c.
32) Galland. T. I. p. 562.
33) Galland. T. II. p. 12. 13.
34) cf. P. I. commentat. nostrae cp. 1.

plina ejus aevi dignam, docuerunt Blondellus, Constantius, Blascus [35]), nos adjicimus, neminem [36]) ante Ps.-Isidorum eam cognovisse, ne pontificios quidem [37]), tum Gregorio M. minime familiares esse potuisse repetitiones ex epistolis Gregorii II et III., ex sententiis Isidori Hispalensis, e concilio XI. Toletano aliisque, nisi quis dixerit sanctum Gregorium futuras etiam phrases potuisse praevidere; dein illas epistolas Felicis ad Gregorium hujusque ad illum responsionem, tam arcte inter se conjunctas esse, ut una sine altera cogitari nequeat. Tota Felicis epistola Isidorum mendacem redolet et propter argumentum et quia ex usitatis ei fontibus hausta est [38]) et propter solitam impudentiam, qua mendacia sua e concilio Nicaeno derivat [39]), et quia Felix eo tempore, quo hanc epistolam scripsisse perhibetur, diu vita decesserat [40]).

Denique non omittendum dicunt Ballerini [41]), has tres epistolas in Codd. Vatt. 360. 361. non inveniri; nos respondemus: quum epistola Joannis III., in qua fraudator Leonis illam epistolam citat, in antiquissimis codicibus legatur, quum porro Hincmarus Remensis [42]) Gregorii epistolam in sua collectione Ps.-Isidoriana invenerit, postremo quum omnes tres ab ingenio Ps.-Isidori ratione habita argumenti, consilii et fontium, minime abhorreant, ab Isidoro isto eas confectas, sed incuria librariorum omissas nobis videri [43]).

d. *Epistolam Stephani ad Damasum* et *rescriptum hujus ad illum*, *Vigilii ad Profuturum epistolae cap.* 6. 7. Ps.-Isidoro non attri-

35) l. c.

36) cf. Ahytonis episcopi Basiliensis capitula apud Mansi T. XIV. col. 397.; ille enim cp. 21. praecipit „nullus sibi accipiat de propinquitate usque in quinto gradu", ergo notitiam hujus Gregorii epistolae non habuit. cf. Conc. Mogunt. 813. c. 54.

37) Bonifacio Moguntino, qui, cum suspectas censeret interrogationes Augustini et Gregorii M. ad eas responsiones, praesertim propter ea, quae de conjugio illicito continebant, Romam miserat, qui peterent, ut in scrinio epistolarum illae investigarentur; sed nullum obtinuerat exemplar, illi, inquam, Bonifacio pontificii lubenter Gregorii istam ad Felicem misissent epistolam, si extitisset. cf. Bonif. ep. 40. ed. Würdtwein. p. 89. 90. (ed. Serar. ep. 15.).

38) cf. P. I. commentat. nostrae cp. 3.

39) Sicut in epistola 2 Ps.-Julii et alias.

40) cf. Blondelli censuram hujus epistolae p. 667.

41) l. c.

42) ep. 37 et 59. T. II. pg. 655. 829.; tractatus de divortio Lotharii et Theutbergae interrogt. 5. 12. T. I. p. 594. 642.

43) Librarius, quem taedebat tam multas Leonis epistolas describere, ceteras, quum paucas descripsisset, omisit; simili incuria Felicis et Gregorii epistolas neglexit. Ceterum quod Ballerini de paginis albis illius codicis Vaticani dicunt, ita explicandum est: librarii codicis cujusvis describendi partes saepissime inter se partiri solebant; jam vero antea accurate scire non poterant, quot paginas expleturi essent, non mirum igitur, si nonnunquam paginae nonnullae vacuae restabant. cf. Ebert *Handschriftenkunde* T. I. p. 138.

buit Spittlerus [44]); sed, excepto cp. 6. epistolae Vigilii [45]), reliqua tum quoad materiam, tum quoad formam Isidoro dignissima judicanda sunt; huc adde quod in omnibus ejus collectionibus inveniantur. Quae vero epistolae cum in nonnullis sic dictis Hispanicis, Ps.-Isidoriana collectione antiquioribus deprehendantur codicibus [46]), Isidorum illas tanquam primitias et praecursores tali codici intulisse et sic viam ad scopum sibi patefecisse, haud immerito dici potest. Hinc Constantius mirari desinat quod librarius ex falsis mercibus plures non descripserit [47]).

§. 2.

De patria hujus operis.

Hominum vere criticorum, istam collectionem in Hispania esse concinnatam, qui credat, prolatis jam a Blondello [1]) contra hanc opinionem firmissimis argumentis, nostris temporibus sane nullus invenitur. At cum plerique, idque, ut videtur, haud perperam, in Franco-Gallia sive Germano-Francia eas conscriptas esse censeant, Theinerus [2]) et Eichhornius [3]) Italiam, immo Romam fraudis patriam putant. Sed audiamus, quibus argumentis usi hanc defendere conati sint sententiam.

1° Dicunt, libro pontificali et missali Romano, e quibus Ps.-Isidorus hausit, Germano-Francos isto tempore usos non fuisse. Hoc sane autumant, sed nullo argumento probant, immo probare nequeunt; nam librum pontificalem etiam extra Italiae terminos notum usitatumque fuisse, hisce probatur: Jam Beda Venerabilis [4]) in Martyrologio suo ea, quae de pontificibus Romanis affert ex illo libro hausit, quin ad VIII. Idus Aug. de Sixto II. quaedam ex libro pontificali narrans, addit: „ut in gestis pontificalibus legitur." Rhabanus Maurus illum librum in opusculo suo de chorepiscopis [5]) codicem Damasi nominat, et in Martyrologio suo, quoties de Romanis praesulibus narrat, nihil refert, nisi quod in nostro quoque

44) *Gesch. des kanon. Rechts* l. c.

45) Hoc enim cum Ps.-Isidori consilio non concordat; et revera Mansi id tantum capitulum in vetustis (cf. T. IX.) quibusdam codicibus, a Ps.-Isidori scilicet mercibus puris, invenit; talem igitur codicem nactus huic capiti impostor septimum adsuit.

46) Const. c. n. 145. apud Galland T. I. p. 135.

47) l. c.

1) Prolegom. cp. II — IV.

2) l. c. p. 67 — 86.

3) *Grundsätze des Kirchenrechts Bd* I. *Göttingen* 1831. p. 158.

4) p. 325. Tom. III. Opp. ed. Colon. Agripp. 1688.

5) „Unde legitur, inquit, in codice, quem Damasus papa de episcopis Romanae ecclesiae petente Hieronymo scripsit." cf. Labb. T. VIII.

libro pontificali legitur [6]). Hincmarus denique Remensis [7]) sub nomine gestorum pontificum eum citat; „In libro vero, inquit, qui titulatur gestorum pontificum, legimus, constituisse beatum Sylvestrum, ut nemo laicus clerico crimen audeat inferre;" haec vero in Damasi libro pontificali ad verbum invenies. — Porro si Theinerus (p. 74.) exclamat: „Mira antiquitatum ecclesiasticarum, rituum totiusque disciplinae ecclesiasticae cognitio in decretalibus reprehenditur, quae nullo modo obscurum aliquem Germanum eorum auctorem probat;" sciat hanc miram earum rerum cognitionem ex ipso fonte impuro, libro scilicet pontificali, deductam esse, ex quo etiam obscurum quendam hominem sine magno labore describere potuisse, quis est qui neget?

Perpauca sane ex Missali [8]) Romano sive Sacramentario Gregorii hausisse videtur impostor, sed hoc historiae ecclesiasticae gnari non mirantur, quippe cum in Germano-Francia, ubi jam Carolus Magnus ad normam Romanae regni sui ecclesias instituere studuerat [9]), tempore Ludovici pii et deinceps illud quisque sibi comparare potuisset; quin ipso tempore et in vicinitate Ps.-Isidori illud notum fuisse, docet epistola (Jallonis) ad Otgarum, archiepiscopum Moguntinum [10]): „Mittite mihi, inquit, de pergameno bono ad unum lectionarium perscribendum et ad unum missalem Gregorianum, quem, si per vestrum adjutorium perfecero, dum vixero semper memor ero."

2⁰ Theinerus dicit, consilium impostoris aliter explicari non posse, nisi quis eum Romae scripsisse concedat, sed hanc opinionem missam faciamus, quia parte II. hujus commentationis de consilio impostoris fusius nobis erit disputandum.

Nos contra, duabus potissimum ex causis, contendimus, istam in Germano-Francia esse fabricatam collectionem:

---

6) Tom. VI. opp. p. 192. ed. Colon. Agrip. 1626. cf. vita Lini, Cleti, Clementis, apud Rhabanum, ubi librum pontf. etiam gesta pontificalia nominat.

7) Opuscl. 48. n. 23. p. 794. T. II. Schelstraten apud Muratorium T. III. p. 18. 19. in *rerum Italicarum scriptoribus* librum pontificalem apud Hincmarum sub titulo libri episcopalis (scilicet in epistola ad Nicolaum 27. n. 28.) occurrere putat, sed errat; nam librum pontificalem apud Hincmarum et Rhabanum idem esse cum gestis pontificum demonstravimus; liber vero episcopalis forsan idem est ac codex episcopalis (de quo in eadem epistola) et gesta episcoporum, et apud Rhabanum Maurum (de clericorum institutione et caerimoniis ecclesiae Lib. 1. cp. 28. p. 9. T. VI.) gesta patrum. — Ceterum ex libro pontificali descripsit Carolus M. in epistola sua ad Alcuinum apud Hittorpium „de divinis catholicae ecclesiae officiis" Colon. 1568. p. 99. 100. (post Alcuini lib. de div. off.); persaepe eo usus est Amalarius episcopus Trevirensis, Alcuini discipulus, in libello de ecclesiastico officio apud Hittorpium l. c. exempli gratia l. I. c. 27. l. III. c. 8.

8) Forsan quoque ex ordine Romano. cf. P. I. cp. 3.

9) Gieseler II. §. 8. De ordine Romano ceterisque libris liturgicis Romanis, quam fuerint illo tempore noti, vide Hittorpii praefationem ad librum supra laudatum. Ceterum Theinerus ipse (p. 78.) sibi contradicit, narrans Carolum Magnum ab Hadriano Sacramentarium accepisse.

10) In Würdtwein edit. epistol. Bonifacii p. 328.

primum quia, ut infra demonstrabimus, ea; quae in decretalibus proponuntur, in statum ecclesiarum illius regionis optime quadrant;

secundo loco quia fontes, e quibus fraudator hausit, ibi facillime sibi comparare potuit. Descripsit enim non solum ex iis libris lacinias, qui ubivis noti erant [11]), sed etiam ex iis, qui potissimum vel unice ibi reperiebantur, scilicet e Mscc. Gallicanis [12]), codice Theodosiano sive potius breviario Alarici cum interpretatione Aniani, ex actis conciliorum Gallicanorum et Germano-Francorum [13]); quin codex Hispanicus, quo Ps.-Isidorus tanquam fundamento usus est, Gallicanae fuit originis [14]). — Immo accuratius locum, ubi ille scripserit, definire licet: hausit enim ex epistolis Bonifacii Moguntini et ex iis, quae ad eum scriptae sunt [15]); hausit ex epistola quadam ad Lullum, Bonifacii successorem [16]); ad archiepiscopos Moguntinos spectat consilium ipsius stabiliendi Primates [17]); ex eorum denique sede metropolitana falsas merces propagatas esse, notum est [18]); ergo Moguntiae fraudatorem vixisse et scripsisse optimo jure censeo [19]).

---

11) Veluti ex scriptis PP. ecclesiast. et pontificum Rom. cf. hac de re scripta Theodulphi Aureliani, Agobardi, acta concilii Aquisgranensis 816, Parisiensis 829. Aquisgranensis 836, opp. Rhabani, Hincmari.

12) Nam Clementis epistolas, huic papae jam antea afflctas, ex talibus hausit codicibus. cf. Ballerin. P. III. cp. VI. §. 5. n. 18. apud Galland. T. I. p. 546.; adhibuit porro collectionem quam dicunt Quesnellianam. cf. Baller. l. c. n. 20. p. 548 sq. Eichhornius l. supra laudato opinatur, hanc collectionem gallicanae originis non esse, et jure quidem; attamen negari nequit, eandem in Gallia fuisse usitatam et saepe descriptam, cf. Baller. notas T. III. opp. Leonis; hoc vero de tempore ante Ps.-Isidorum tantum dici posse credo, quia collectione Pseudo-Isidoriana in lucem prolata, nemo facile tales collectiones imperfectas deinceps transscripserit.

13) Nimirum ex epistola synodali concilii II. Turon., ex concilio Aquisgr. 816, Paris. 829, Aquisgr. 836. cf. P. I. commentat. nostrae cp. 3. Epist. Clementis 2. 5. Urbani, Fabiani ep. 2. Leonis 88. Damasi, Joannis III. Felicis IV. ep. 1.

14) Ballerin. P. III. cp. IV. §. 4. et §. 5. n. 19.

15) cf. P. I. commentat. nostrae cp. 3.

16) cf. ibidem.

17) cf. P. II. §. 19.

18) cf. Hincm. Rem. contra Hincm. Laud. opusc. 33. n. 24. Benedictus Levita, Moguntiae degens, capitularia regum Francorum ex iis depravavit; officina librariorum, qui hoc opus transscripserunt, Moguntiae fuit, quia in multis codicibus plura e scrinio Moguntino desumta noscuntur. cf. Ballerin. P. III. cp. VII. n. 7.

19) Eichhornius putat, decretales in Italia confictas postea in Gallia codici cuidam Hispanico insertas esse; illud jam refellimus, hoc vero cum illo cadit. Mihi certe mirum nullo modo videtur, quod multi codices Ps.-Isidoriani nihil nisi epistolas, omissa secunda canonum scilicet parte, proferant; si quis enim talem codicem sibi comparare volebat, eam unice ob causam describi jubebat, quia integra pontificum Romanorum collectione epistolarum (non conciliorum canonum, quam quisque episcopus possidebat), quae tanti erant momenti, diutius carere noluit; ergo has tantum describendas curabat.

§. 3.

De tempore, quo fraudator scripserit.

Duae sunt potissimum virorum doctorum hac de re sententiae; hi sub Carolo M. adhuc rege falsas merces fabricatas, illi circa confinium temporis Ludovici Pii ejusque filiorum confictas censent [1]). Prioris sententiae patrocinium Theinerus, vestigia Blasci secutus, nuperrime suscepit [2]). Horum tamen duumvirorum argumenta eam ob causam nihil valent, quia veritatem eorum, quibus utuntur, monumentorum antea non probarunt. Quod enim Theinerus statuit, pseudo-decretales jam ante 785 extitisse, quia Hadrianus famosa ista capitula, quae Angilramno tradidisse creditur, ex iis hauserit, omni caret probandi vi. Scilicet omisit docere, quod quidem non potuit, decretales revera jam antea extitisse, tum Hadrianum revera illa capitula collegisse, denique Angilramnum revera et accusatum Romaeque hanc ob causam commoratum et in suum favorem iisdem unquam usum fuisse [3]). Quaecunque dein Blascus de epistolis Ps.-Isidori interpolatis affert, jam iis, quae supra (§. 1. n. 2.) diximus, refutata sunt; quae vero de Riculfo, decretales divulgante, disserit [4]), ex Hincmaro sumsit; at vero, si huic credit, quem tamen eorum, qui falsas merces propagabant, mendaciis deceptum fuisse verisimile est, — cur eidem nullam tribuit fidem asserenti Riculfum ex Hispania istam collectionem accepisse? Illud denique argumentum, quod jam Gregorio IV. in Alsatia degenti capitula quaedam, falsis mercibus referta, tradita fuerint, in quibus scilicet legeretur [5]): „quod in Romano pontifice (Gregorio) esset omnis auctoritas beati Petri excellens et potestas viva, a qua oporteret universos judicari, ita ut ipse a nemine judicandus esset" — hoc, inquam, argumentum duabus ex causis rejicitur; primo loco quia haecce capitula nihil continebant, quod non in monumentis Ps.-Isidoro antiquioribus reprehendatur, nimirum in constituto sive in gestis Sylvestri et Synodis sub Symmacho; tum, quia secundus Gregorii successor, Leo IV., in epistola sua ad Britannos nulla scripta nullasque epistolas Paparum ante Siricium, ut debebat, enumerat [6]). Cetera levissima Theineri argumenta jam Walterus satis superque refutavit [7]).

---

1) cf. Gieseler II. §. 20.

2) Theiner. p. 26. Blascus apud Galland. T. II. p. 37 — 46.

3) cf. P. I. comment. nostrae cp. 1. Theinerus mirum in modum multa sermocinatur de Angilramni accusatione ejusque defensione; sed nullo ex historia allato argumento.

4) Apud Galland. T. II. p. 15 sq.

5) In Paschasii Radberti vita Valae l. II.

6) cf. Mansi T. XIV. et Gieselerum l. c. Theinerus opinatur, Leonem, in illa epistola nihil de falsis decretalibus dicentem, caute et bene egisse, quoniam Britanni Romanae sedi semper addicti atque fideles fuerint; contra vero Romanos pontifices cautissime acturos fuisse censeo, si servis fidelibus eas primum commendassent, quia hi libenter accepta monumenta latius propagare studuissent.

7) *Lehrbuch des Kirchenrechts aller christl. Confessionen.* Bonn 1824. 4. *Aufl.* §. 83. 88.

Quae quum ita sint, tempus, quo decretales in lucem emerserint, restat, ut accuratius definiatur. Quemadmodum fere omnia ficta monumenta ea, qua divulgabantur, aetate, fabricata noscuntur [8]), ita decretales quoque epistolae eo quo innotescere coeperunt tempore consarcinatas esse veri est simillimum. Quid enim aliud fraudatores cum mercibus suis sibi voluere, quam ut animos hominum sui temporis ad hoc vel illud permoverent? Si ergo illo ipso, quo vixerunt, tempore aliquid efficere ipsis propositum fuit, curae cordique iis esse debebat, ut mendacia sua scripta etsi caute, tamen confestim, propagarent; neque enim credibile est, eos exspectaturos fuisse, num forte fortuna quis ipsorum operibus obscuro quodam loco positis usurus esset. Jam vero quum ante Benedicti Levitae collectionem capitularium, multis falsis mercibus refertam, nullam decretalium mentionem invenerim, hujus interpolatoris aetate eas natas esse censeo. Nec me fugit, fuisse, qui dicerent [9]), ante 836 illas jam extitisse, quippe quas Synodus Aquisgr. tunc celebrata cp. II. c. 8. laudaverit [10]); sed aperte errant. Verba istius Synodi haec sunt: „Statutum etiam est, ut vel semel in anno, id est in quinta feria, quae est in coena domini, unctio sancti olei, in quo salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab episcopis non negligatur, sicut nunc usque neglecta est, sed omni devotione juxta traditionem apostolicam ac statuta decretalium, in quibus de eadem re praecipitur, peragatur." Quaenam vero sunt haec statuta decretalium? Num verba Ps.-Fabiani ep. 2.? Minime! Sane epistolae decretales, quarum statuta Synodus praedicta laudabat, omnibus notae esse debebant et pro genuinis agnitae; cur autem ne verbum quidem ex his Ps.-Isidori decretis citabat? Quia adhuc nusquam ea viderat. Falsarius, qui statutum Synodi tale, quale est, nulla in epistola invenire potuit, hanc optimam fingendi occasionem arripuit ad sententiam synodi, quam plane non intellexerat, confirmandam et Fabiano affingendam [11]).

---

8) Velut ea, quae sub Dionysii Areopagitae, Clementis et aliorum nomine circumferuntur.

9) Mansi sacrosanctorum conciliorum nova et amplissima collectio T. I. Blondell. Proleg. cp. 18.

10) Mansi T. XIV.

11) p. 293. 294. in edit. Blondelli. Pauca de canone Aquisgr. adjicere mihi liceat. Verba Synodi „juxta traditionem apostolicam" primum referenda sunt ad „unctio sancti olei, in quo salvatio infirmorum creditur (— non negligatur —)"; mos enim aegrotos oleo unguendi, ut convalescerent, deducitur ex Jacob. 5, 24. et ideo traditio apostolica nominatur; reapse hoc sensu eadem de hac re constituit concilium Cabilonense 813. can. 48. (Mansi T. XIV. col. 104.) his verbis: „Secundum beati apostoli Jacobi documentum cui etiam documenta patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungui debent. Sic enim ait (Jacobus l. c.): Infirmatur quis vobis, inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum unguentes eum oleo nomine domini et oratio fidei salvabit infirmum et allevabit eum dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei. Non est igitur parvi pendenda hujusmodi medicina quae animi corporisque medetur languoribus." De apostolica traditione hoc sensu cf. Theodulphi Aurelianensis libellum de bapt. c. 17. „Quod ergo, inquit, presbyteris baptizatos chrismate unguere licet, spiritum sanctum vero per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis traditur", nimirum Act. 8, 14. 15. et revera Jesse, episcopus Ambianensis, in epistola sua

Nam verba concilii „juxta traditionem apostolicam" ita explicat, ac si dominus noster chrisma conficere ipse decreverit, ac si traditum sit, quovis anno vetus chrisma esse concremandum, ac si hunc morem ecclesia Romana, Antiochena, Hierosolymitana et Ephesina inde a temporibus Apostolorum observaverint; quin Synodus Aquisgranensis hanc novam ac miram narrationem describere non omisisset. Hus adde, quod falsarius in hoc loco componendo etiam Alcuini libro de divinis officiis usus sit [12]). Imo Ps.-Isidorum ex saepe memorato concilio hausisse, ex iis quae statim sunt disputanda, clarissime elucebit. Synodus enim in libello, quem Pipino, regi Aquitaniae, misit [13]), citat can. 7. 8. concilii Gangrensis et dein subjicit can. 3. synodi IV. sub Symmacho; haec verba eadem serie Ps.-Isidorus descripsit et Ps.-Synodo II. sub Symmacho intexuit. Postquam enim canones Gangrenses transscripserat verba Symmachi, non ex synodo IV., sed ex concil. Aq. hausta addidit et interpolavit. En verba ipsa:

1. Synodus IV. sub Symmacho c. 3.: „Iniquum est enim et sacrilegii instar, ut, quae vel pro salute vel pro requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiae pauperum causa contulerit, aut certe reliquerit, ab his, quos haec maxime servare convenerat, in alienitatem transferantur."
2. Syn. Aquisgran. l. III. cp. 26.: „Iniquum est enim et sacrilegii instar, quae pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiae pauperum causa contulerit, aut certe reliquerit, ab his, a quibus maxime convenit servari, auferri et in aliud transferri."
3. Ps.-Syn. VI. sub Symmacho: „Valde iniquum ergo et ingens sacrilegium est, quaecunque vel pro remedio peccatorum vel pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiae contulerit, aut certe reliquerit, ab his, quibus haec maxime servari convenit, id est Christianis et Deum timentibus hominibus et super omnia a principibus et primis regionum, in aliud transferri vel converti."

(apud Galland. T. XIII. bibliothec. patrum p. 400.) hunc locum ex Actis citat. Deinde vero verba „juxta traditionem apostolicam" referenda sunt ad „ut vel semel in anno, id est in quinta feria, quae est in coena domini — non negligatur." Talem enim traditionem tunc temporis extitisse, docet Alcuinus disserens de coena domini in libro suo de divinis officiis (apud Hittorpium l. c. p. 55.) hoc modo: „hodie (scl. in coena domini) chrisma conficitur vel consecratur" et paulo post: „et ideo feria quinta conficitur, quia quinta aetate mundi Christus ad nos pervenisse perhibetur." cf. lib. pontif., ubi in Sylvestri vita dicitur, chrisma quinta feria in coena Domini confici debere. Verba denique „juxta statuta decretalium" spectant ad benedictionem et confectionem olei, non ad unctionem infirmorum, haec enim non ad episcopos, sed ad presbyteros pertinebat. Laudata igitur statuta decretalium hoc sensu non in falsis decretalibus, sed in genuinis, nimirum in Innocentii I. epistola ad Decentium Eugubinum legebantur, et hinc evenit, ut synodus illa decreta, tanquam omnibus nota, citare potuerit. — Concilium Meldense anno 845 secundum hanc Aquisgr. synodi sententiam statuit can. 46.: „ut nemo sacrum chrisma, nisi in quinta feria majoris septimanae, id est in coena domini, quae specialiter appellatur dominica, conficere praesumat."

12) Apud Hittorpium l. c. p. 55. cf. P. I. comment. nostrae cp. 3.

13) Libr. III. cp. 26. Mansi T. XIV.

Denique quum Rhabanus Maurus inter a. 839 — 840 de chorepiscopis scribens falsas merces non cognovisse, Ps.-Isidorus vero in epp. (Damasi, Leonis et) Joannis III. ad illud opusculum respexisse videatur et in Levitae Benedicti capitularium collectione primum istas cantilenas reperiamus,

Pseudo-Isidori collectionem inter an. 840 — 845 excusam esse, dicas necesse est [14]).

His itaque pertractatis, postremo loco de auctore falsario pauca erunt disputanda.

§. 4.

Quaeritur, quisnam sub Isidori persona lateat.

Fraudatorem sub celeberrimo Isidori Hispalensis [1]) nomine centones suos male consutos promulgare voluisse, luce clarius est; ergo ne minimam quidem speciem veritatis prae se fert opinio eorum, qui eam solam ob causam monachum quendam artificem fuisse putant, quia in praefatione operis legatur: „Nobis autem quidam e consortio fratrum nostrorum orientales testati sunt, se vidisse concilium Nicaenum."

Ridiculum enim, si quis monachus in suae personae gratiam Isidorum illum, quem quisque episcopum fuisse sciebat, tanquam monachum sese gerentem fecisset. Ps.-Isidorum potius his verbis ex temporis sui usitata loquendi formula episcopum indicare voluisse, constat ex concil. Paris. 829 et Aquisgr. 836 [2]), ubi episcopi simili modo de episcopis dicunt: „Sed quia nonnullos socios ordinis nostri etc." et: „Comperimus etiam quosdam ordinis nostri .... remotiora loca frequentare." Quem igitur fraudatorem quum ex praefatione eruere non possimus, alia indicia, quibus divinetur, quaerenda sunt. E patria primum, ubi vixit et scripsit, e fontibus, quibus usus est, nec minus e consilio ejus mox indicando, e genere denique scri-

14). Notandum est, quod vulgaris sententia de anno, quo Benedictus Levita capitularia interpolare inchoaverit, scilicet an. 845, omni fundamento caret, immo hoc anno illa capitularia jam extitisse, ex Synodo Meldensi, tum celebrata, elucet, can. 78. praecipiente, ut promulgata capitularia legis vim habeant, non ut Benedictus capitularia colligat. Ceterum appendix ultima ex decretis Venilonis et Hincmari depromta, ab eodem auctore scripta esse videtur, qui secundam praefationem post Benedicti mortem operi praeposuit.

1) Quomodo inscriptio libri „Isidorus Mercator" orta sit, ad definiendum est difficile; mihi vitium esse videtur aut Ps.-Isidori, qui, vetustum et mendosum codicem nactus, verba initii fortasse „Isidōs P..catr" non intellexit, ex sua vero sententia ita restituit „Isidōs Mēcatr"; aut, quod magis credo, vitium est librarii, qui, quum dictantis verba, quae ipsi tanquam „Isidorus Meccator" sonabant, non comprehenderet, ex sua conjectura correxit „Isidorus Mercator." cf. Clem. ep. 1. p. 18. *admonere*, male pro *amovere;* cf. p. 20. cf. Syn. V. sub Symmacho et Eusebii ep. 2. p. 414. „perceptor vel primo (primus) possessori restituat", male pro: „p. v. Primas etc." cf. Ebert *Handschriftenkunde*. p. 138 sq.

2) Concil. Paris. l. I. c. 20. 21. Aquisgr. cp. I. c. 12. apud Mansi T. XIV. col 553 sq. et 676.

bendi, ei plane non absimili, quod in capitularibus regum Francorum et in synodis Gallicanis et Germanicis tunc temporis reperies, eum Germano-Francum fuisse non sine jure concluditur. De illis jam supra dictum est, de hoc vero nunc pauca afferam. Notum est, voces *Missus* et *Missi* in illo imperio usitatas fuisse; eandem invenies in ep. 2. Ps.-Julii cp. 1. p. 461. positam pro *legati*. Porro *seniores* (= seigneurs) habes ep. 2. Callisti p. 260. cf. Concil. Aquisgr. 836. cp. II. p. 2. Can. 6. Cap. IV. Caroli M. an. 805. c. 9. (Mansi T. XIV. append. col. 304.) „ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi vobis et unicuique proprio *seniori* suo ad nostram utilitatem et *senioris* sui." Deinde *venire* eodem sensu, quo Franco-Galli nostrae aetatis voce *aller* utuntur, usurpatum leges in ep. 2. Callisti p. 260. „Talium enim conjunctiones .... auctoritate apostolica *rescindendae veniunt.*" Tum *modernis temporibus* apud Steph. ep. 2. p. 336. Urban. ep. unic. p. 268. cf. Concil. Paris. 829. l. 1. c. 20. Aquisgr. 836. cp. III. c. 7. (*moderno tempore*) c. 22.; libell. ad Pipinum, regem Aquitan., l. III. praef. (*modernis tempp.*). Denique nostrum loquendi modum sapit Anicetus ep. unic. p. 203: „Si autem — *grave* ad hanc sedem ejus causam deferre *fuerit.*" Liber. ep. 13. p. 485.: „Epistolam vestram *ante nos recitare fecimus.* Pontian. ep. 2. p. 277.: „*necesse habentes* semper adjuvare." Anter. ep. unic. p. 280.: „*patientes necessitatem*"; cf. Syn. Aquisgr. libell. ad Pipinum l. 1. cp. 3. Fabian. ep. 2. p. 297.: „quoniam et inter homines pro fidelibus habentur, qui dominorum suorum *causas bene custodiunt* et fideliter tractant" [3]). Neque enim mirum illis temporibus et in confinio Galliae Germaniaeque tale mixtum orationis genus extitisse. Porro quum et Metropolitanos saepe increpet (cf. Julii ep. 1. p. 447.) et Primates instituere studeat, neque Metropolitanus neque simplex episcopus fuit; deinde saepissime de vita communi (cf. Clem. ep. 5., Urbani unic., Fabiani 2., Melch. decrtt.) disserens, et de officio episcoporum, hominibus, tali modo conjunctis, necessarium administrandi victum (Urban. p. 266.) — clericum fuisse canonicum, quem denique, cum Moguntiae ejus merces fabricatas viderimus, Moguntinae cuidam ecclesiae adscriptum candemque cum Benedicto Levita personam fuisse, certo certius credo.

Vixit enim eodem tempore, eodem loco, idem spectabat [4]), erat eodem modo mendax, cautus et circumspectus, ne quis ipsum impostorem depre-

---

3) De genere scribendi haec quoque conferas: Jul. ep. 2. p. 461. „ecclesiae disciplinae *injuriam irrogantes.*" cf. Aquisgr. Syn. 836. libell. ad Pipinum l. I. c. 37. „injuriam et inobedientiam Deo *irrogare.*" Syn. Aquisgr. Cp. III. cp. 7. „sacerdotes — non sunt vituperandi nec despiciendi, sed — audiendi et congruo honore venerandi." cf. libell. ad Pipinum l. 1. cp. 35. — ibid. cp. III. epilog. „praesentialiter"; et „integerrime" III, 6. „patratores"; ad Pipinum regem L. 1. c. 1. „divinorum praeceptorum transgressores et sanctae Dei ecclesiae dehonoratores." cf. L. II. cp. 17. 29. — ibid. cp. 20. „inobedientes existere." — Hunc loquendi modum apud Isidorum ubivis deprehendimus.

4) Dogmata enim de primatibus, de accusatione episcoporum, de abolitione chorepiscoporum in capitularia transtulit.

henderet [5]). Sane fidelem ad capitularia interpolanda hominem Otgarus, Archiepiscopus Moguntinus [6]), eligere debebat; quomodo autem ad hanc rem perficiendam invenire potuerat meliorem eo, qui modo mercibus cudendis, Moguntinae sedi eximie faventibus, finem imposuerat? Verisimile ergo esse videtur, consensu vel hortatu Otgari Benedictum Levitam falsas decretales conscripsisse et, quo securius ad scopum suum perveniret, capitularia, in quibus ea, quae pro veris ac necessariis agnosci volebat, tanquam a Lotharii, Ludovici et Caroli majoribus probata et praecepta exhibentur, cudere studuisse [7]).

---

5) cf. Gieseler l. c. §. 7. not. n. §. 8. not. n. §. 9. not. h. — Savigny *Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter* II. p. 95 sqq. — Blondell. prolegg. c. IV. p. 23 sqq. Quemadmodum enim Ps.-Isidorus ad scrinium Romanum provocat (cf. Marci ep. unic. p. 440. Julii ep. 2. p. 469.: „Si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit in sacro nostrae ecclesiae scrinio et ea quae praediximus invenire poterit. Verum me dixisse testis est divinitas!"), ita Benedictus Levita dubitantes ad scrinium Moguntinum delegat (cf. praefat. ejus apud Baluz. T. I. p. 813.). Quippe valde incredibile fuit, extitisse capitularia, quae nemo cognosset, neque ipse Ansegisus inspexisset: hanc ob causam fingit, Ansegisum permulta aut incuria omisisse aut suis capitularibus inserere fortasse noluisse; ad hoc probandum cudit capitula Angilramni (cf. Part. I. cap. 1. hujus comment.) et autumat jam Riculfum († 813) talia collegisse, quae tamen Otgarus demum novissime invenerit; denique capitularia nominans, quae talia non sunt, semper quidem auctoritatem apostolicae sedis in ore ferens, nunquam tamen falsas decretales citare ausus, apertissime docet, se mendacissimum et mala conscientia vexatum fuisse hominem. At ipse (cf. Alex. ep. 1. pag. 163.) „non solum, inquiens, qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus rei sunt" suam de se sententiam dixit.

6) Benedictum fortasse antea cum Otgaro, adhuc abbate, in eodem claustro (sc. Veissenburgensi) commoratum esse verisimile est, cf. Serar. rer. Mogunt. et cod. Mogunt. nov. *revidirt von Scheppler. Aschaffenburg* 1802. pag. XXVII.; quin et in Chronico Juliani Toletani (cf. Gieseler l. c. §. 20. n. h., edit. III. not. m) monachus quidam Benedictus tanquam collector Isidori nominatur. — Ex illo monasterio scripsit monachus quidam, nomine Jallo, Otgaro Archiepiscopo verba haecce memoranda: „Litterae vestrae dignationis mihi per horum perlatorem veniant, ut norim, si adhuc vestra almitas antiqui contubernii memor esse dignetur, *jubeoque fidenter more solito*, ut supra dictae membranae per praesentem fratrem nostrum mihi veniant." cf. Würdtwein.

7) cf. praefationem Benedicti apud Baluz. l. c.

PARS I.

DE FONTIBUS, E QUIBUS PS.-ISIDORUS IN ADORNANDIS DECRETALIBUS SUIS HAUSERIT, ET DE HARUM ARGUMENTO.

CAPUT I.

DE FONTIBUS INDAGANDIS ET DE RATIONE, QUA PS.-ISIDORUS IIS USUS SIT.

§. 5.

Quaeritur, quamnam navarint operam viri eruditi fontibus, de quibus agitur, indagandis, et num omnes, quos indagarunt, tales habendi sint.

Davides Blondellus, vir maxime venerandus, summo studio atque indefesso labore vestigia impostoris scrutatus, omnes fere latebras, ex quibus suas illa ridicula cornix plumas surripuit, in celeberrimo suo libro, qui inscribitur: „Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes. Genev. 1628.", omnium, qui videre possunt voluntque, hominum oculis apertas demonstravit. Inde vero ab illo tempore viri eruditi — exceptis Ballerinis atque Spittlero, qui monstrarunt, unde documenta a se non ficta falsarius sumserit — studiis Blondelli acquieverunt. Jam autem videndum, num omnes fontes ab hoc viro detecti tales habendi sint, et primum quidem, quid statuamus de *capitulis Angilramni.*

Nostris sane temporibus nullus fere invenitur, qui famosa ista capitula inter fontes Ps.-Isidorianos numeret, immo plerique e falsis decretalibus ea esse derivata putant [1]).

Ex meo tamen judicio ab eodem impostore, cujus ex officina decretales prodierunt, conficta sunt. Nam

1° qui accurate omnes locos apud Blondellum perlustrat, ubi in margine fontes tanquam ex Angilramni capitulis deductos adnotavit, epistolarum

1) Ballerini, Spittlerus, alii.

decretalium auctorem illa capitula inspexisse et vario modo dilatasse facile reperiet.

2° Epitomator ex ipsis fontibus, unde auctor decretalium hausit, haud facile illa interpolare potuit, nisi et ipse ille Ps.-Isidorus fuit. Verba enim capituli primi: „Dei ordinationem accusat, in qua instituuntur, qui episcopos accusat vel condemnat, dum minus spiritualia quam terrena sectantur. Unde et propheta ait: Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari", non ut Theinerus (pag. 29.) opinatur, ex epistolis Ps.-Thelesphori et Ps.-Eusebii excerpta, adjectis e cerebro epitomatoris „dum minus spiritualia quam terrena sectantur", sed haec omnia desumta sunt ex Isidori Hispal. sent. III, 39 et de offic. eccl. II, 15. Unum praeterea in gratiam sententiae meae afferam exemplum. Canonem 17 Concilii V. Aurelianensis Ps.-Isidorus Anacleto (ep. 2.), Alexandro (ep. 1.), Stephano (ep. 2.), Sixto II. (ep. 2.) et Julio (ep. 2. cap. 7.) vindicat, sed nullibi ad verbum descripsit, in capitulo vero secundo Angilramni ipsum laudati concilii canonem, adjectis quae in epistolis componendis impostor omiserat, diserte legimus.

Jam quum nequaquam ante Ps.-Isidorum, primum vero in ipsius collectionibus iisdemque vetustissimis illa inveniamus neque quisquam alius nisi fraudator ipse ipsis ex fontibus ea augere potuerit, ab eodem illo nebulone, cujus ex officina decretales et falsa capitularia prodierunt, conficta et tanquam ex ipso fundamento vel primis operum suorum lineis edita esse conjicio [2]). Sed quonam consilio edita? Nimirum, ut falsis decretalibus capitularibusque fidem conciliarent. Nam quum multa proferant, quae in duobus hisce operibus leguntur, jam Angilramnum non solum decretalibus usum fuisse probant pleraque capitula concilii Nicaeni, de quibus Ps.-Isidorus (cf. praefat. ejus et ep. 2. Julii et Felicis II.) garrit, cognovisse, sed etiam ea capitularia, quae Benedictus Levita tanquam ab Ansegiso omissa collegisse se clamat, multos annos ante Ansegisum in usum suum adhibuisse. Quibus igitur capitulis, ut nemo de veritate decretalium et Benedicti capitularium tunc temporis dubitaret, potissimum factum est [3]).

§. 6.

Pergitur in eadem re.

Nonnulla praeterea contra Blondellum notanda sunt:

1. Locus in epistola 1. Anacleti pag. 112.: „Sit ergo fratres — charitatis Christi." non ex sacra scriptura desumtus et a Ps.-Isidoro varie deformatus, sed totus ex epistola Zachariae papae descriptus est (cf. cap. 3.).

---

2) Quas igitur ob causas Hincmarus Laudunensis auctor vel epitomator horum capitulorum non est; neque enim Hincmarus Rhemensis (cf. Opp. T. II. opusc. 36. n. 24. pag. 476.) aliud de eo dicit, nisi quod ex capitulis Angilramni — Archiepiscopo Rhemensi bene notis — et e decretalibus male excerpserit.

3) Quum de hisce capitulis hoc loco fusius dicere non liceat, alias, Deo adjuvante, plura de iis disseram.

2. Quaecunque in ep. 3. ejusdem Papae tanquam ex concilio 1. sub Gelasio hausta asserit, ad verbum transscripsit impostor ex praefatione concilii Nicaeni codici Quesnelliano affixa.

3. Verba, quae ex Prosperi Aquitani [1]) libello de vita contemplativa et e Ruricii epistolis (cf. Urban., Marcelli ep. 2. et Melchiad.) desumta notat, eam ob causam inde hausta non crediderim, quia ex his duobus libellis praeter haec brevissima nihil offert impostor, sed quum haec eadem in Concl. Paris. 829 et Aquisgran. 836 inveniantur, illum inde, unde cetera, ea depromsisse est verisimilius.

Post Blondellum novissime Blascus [2]) quoque novum fontem invenisse sibi visus est; dicit scilicet, Ps.-Isidorum ex „canonum excerptionibus Egberti Eboracensis" hausisse. Sed quisnam est auctor harum excerptionum? Hucarius Levita, qui pluribus post Ps.-Isidorum saeculis vixit [3]). Sane excerpsit canones Egberti, sed e falsis decretalibus jam interpolatos [4]), nam cap. 72 ex synod. VI. sub Symmacho, c. 111. ex Eutychiani ep. 2, c. 141. ex Julii ep. 2. cap. 16, c. 131 et 137. ex Gregorii I. ep. ad Felicem derivata sunt. Ps.-Isidorum concilio Nicaeno plura, praesertim in ep. 2. Julii, capitula affinxisse constat; jam interpolator Egberti caput 6 epistolae secundae Julii, haustum e Codice Theodosiano, inde petivit, et Ps.-Isidori testimonio usus hoc modo inscripsit: „In Nicaena synodo statutum est [5])." Non est igitur, quod hasce excerptiones inter fontes Ps.-Isidorianos numeremus.

In collectionibus denique conciliorum cura Labbei et Mansi editis in margine decretalium ex Blondello fontes, sed parum accurate et saepissime vitiose adnotatos invenimus.

Ex his igitur apparet, quid hac in materia reliquum fuerit. Qua in re quid nobis eruere contigerit praeter hucusque memorata, infra capite tertio exponemus.

§. 7.

Quaeritur, quomodo Ps.-Isidorus fontibus suis usus sit.

Mala vexatus conscientia et timens, ne quis ipsum in furto deprehenderet, hinc inde sine omni judicio lacinias surripuit easque verbis aliorum suisve figmentis saepissime interpolavit. Sic, ut unum exemplum seligam,

---

1) Rectius: Juliani Pomerii, cf. Isidori Hispal. de viris illustribus c. 25.

2) Galland. T. II. l. c.

3) Baller. Part. IV. cap. VI. n. 4 seq. — Walter l. c. §. 79.

4) Mansi T. XII. col. 411 sqq. — Egbertus animam efflasse videtur an. 771., tamen c. 6. praecepisse dicitur: „ut pro vita et imperio domini imperatoris et pro filiorum ac filiarum salute oretur", quod tempori et patriae hujus episcopi non convenit. Talia vero tantum in Gallicanis conciliis post an. 800. praecepta sunt (cf. Concl. Arelat. VI. an. 813. c. 2.) et inde fortasse una cum falsis mercibus postea in Angliam advecta.

5) Mansi l. c. cap. 141.

in ep. 2. Clementis longam partem ex ep. synodica concilii II. Turonensis attulit, quam quum dissecuisset, in medio locum ex Prosperi Aquit. sententiis posuit; deinde Justiniani Imperatoris libello *de tribus capitulis* usus, etiam quae hinc descripsit, in duas divisit partes suisque interpolavit cantilenis. Omnia vero sic composita ubivis tam male inter se cohaerent, ut versutum et lingua latina vel modice pollentem sedis Romanae ministrum minime sapiant. Haud pauca undique corrasa mirum in modum mutat, saevissime foedat [1]; maximam vero vim infert verbis Ennodii, quae fortasse non intellexit [2]; aliorum porro locorum tantum sententias reddit [3]. Neque vero difficile est causas hujus agendi rationis investigare; a vestigiis nimirum ad latebras ipsius perducentibus hominum oculos avertere voluit. Sententiis porro apud auctores specialem praebentibus sensum, generalem substituit [4].

Ubi spiritus defecit, statim ex bibliis sacris satis prolixas partes desumsit [5], quas persaepe pro libitu mutavit, nonnunquam vero jam mutatas descripsit [6]. Quaecunque ex scriptis dogmaticis hausit, timens, ne quis Papas suos haereticos reprehenderet, correctionibus suis non deformavit.

Unum denique non praetermittendum duxi, scilicet quod Ps.-Isidorus in ep. 2. Anacleti (pag. 125, 126 et 130.) et in ep. 2. Evaristi (p. 155.), ubi ex Isidori Hispal. de offic. l. II. c. 7 et 5., et e Gregorii I. Moral. XIX, 14. hausit, non ita omnino locos mutuatos exhibuerit, ut in fontibus leguntur, sed quales in Concl. Aquisgran. an. 816 [7]) laudatos invenimus. Unde fortasse non sine iure colligere licet, Ps.-Isidorum illas Isidori et Gregorii sen-

1) cf. Fabian. ep. 1. pag. 291. cum Bonif. Moguntini ep. 17.; Fabiani ep. 2. pag. 303. cum Felicis III. ep. 7.; Eusebii ep. 1. p. 405. cum Ennodii apolog. pro Symmacho; ep. 5. Damasi p. 533. cum Concl. II. Hispal. c. 7.

2) cf. Pelagii II. ep. 2. pag. 633 sqq. cum Ennodii dict. 1.; ep. 22. l. VII.; dict. 21.; vita Antonii Monachi; ep. 13 et 14. l. V.

3) cf. Alex. ep. 1. pag. 164 et 165. „Si quis erga episcopum etc." cum Concl. V. Aurelianens. c. 17.

4) cf. Vigilii ep. ad Profuturum cap. 7. „ipsa namque (Romana) ecclesia, quae prima est, ita reliquis ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis." Leo I. vero, cujus ex ep. 82. haec desumta sunt, non ad omnes ecclesias, sed ad Vicarium suum scripserat: „Vices nostras ita tuae credimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis." Ps.-Damasus ep. 5. praecipit, secundum Leonis sententiam, omnia decreta Paparum a „cunctis generaliter esse custodienda", quod tamen ne Leo quidem (ep. 1 — alias 4. — cap. 5.) ab ullo alio, nisi ab episcopis suae dioeceseos, postulare ausus fuerat. Illud denique, quod in historia tripartita (IV, 19.) absque ullo fundamento historico asseritur, concilia scilicet generalia praeter sententiam Romani pontificis non debere celebrari, Ps.-Isidorus de omnibus cujusvis generis conciliis autumat. cf. Julii ep. 1. pag. 447.; ep. 2. pag. 459.

5) cf. Marcellini ep. 2. pag. 390 et 391. ex Eph. c. 4., pag. 392. ex Eph. c. 3.; Marcelli ep. 1. pag. 395 et 396. ex Jacob. 3. 1 Petr. 1. 2. 4.; cf. Eusebii ep. 1—3.

6) Anacleti ep. 1. p. 112. de qua jam supra diximus; Clem. ep. 1., ubi e Benedicti regula, et Lucii ep. unic., ubi ex Hieronymo hausit.

7) c. 8. 9. 37., Mansi T. XIV. col. 157—159 et 195.

tentias describentem aut simul concl. Aquisgranense inspexisse, aut talibus illorum auctorum libris manuscriptis usum fuisse, quales in Gallia sive Germano-Francia tunc temporis usitati erant.

CAPUT II.

EXPONITUR FORMA ET ARGUMENTUM FALSARUM DECRETALIUM ET FONTES EARUM GENERATIM INDICANTUR.

§. 8.

a. *De forma falsarum decretalium.*

Ne quis de mercibus suis subdubitaret, falsarius in synodis et epistolis fabricandis et genuina acta synodalia et genuinas epistolas sibi ad normam sumsit.

α. In epistolis commentitiis triplici potissimum modo hocce observabis; nam

ϰ. inscriptio earum non discrepat a vulgari Paparum epistolas scribendi genere, etsi ei tempori, quo vixerunt quibus adscribuntur pontifices Romani, minime conveniat. Modo enim scribit: „Servus servorum Dei" [1]), sicut mos erat Paparum inde a Gregorio I. [2]), modo: „universalis — apostolicae — ecclesiae episcopus [3]), quod Ps.-Isidori temporibus haud inusitatum fuit [4]).

Porro his quoque phrasibus usus est: „per gratiam Dei catholicae et apostolicae ecclesiae urbis Romae episcopus" [5]), „servus Christi Jesu — — omnibus, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem, gratia vobis et pax — — multiplicentur" [6]).

Talia vero hausit e bibliis sacris (Anaclet. 1., Alex. 3., Sixt. I. 1., Urban.), ex epistolis Siricii (Alex. 1.) et Gregorii II. (Clem. 3.), e concilio Lateranensi sub Martino I. (ep. Orientalium ad Julium, Athanasii et Aegyptiorum ad Liberium, Aegyptiorum ad Felicem II., Felicis II. ep. 2., Africani concilii ad Damasum, Felicis ad Gregorium Magnum).

1) Damas. ep. 4., Gregor. ad Felicem.

2) cf. Johan. Diac. l. II. c. 1. vitae Gregorii.

3) Sixt. I. ep. 2., Pontian. ep. 2., Stephan. ep. 2., Aegyptiorum ep. ad Marcum et rescriptum hujus ad illos, Felic. II. ep. 1.

4) cf. Hincmari Rhemensis epistolas ad Nicolaum I. Opp. T. II. pag. 282. 289. 312.

5) Felic. II. ep. 2.

6) Anaclet. ep. 1., Alex. ep. 3.

Not. Inscriptionem „reverendissimo fratri....“ desumsit ex Gregorii Magni epistola, mutata et aucta, ad Augustinum (cf. Joh. II. ep. 1. Benedicti I. ep. unic., Gregorii ep. ad Felicem), quam Ballerini inspexerunt. Gall. T. I. p. 569.

ב. Initium epistolarum hoc modo conformavit: „Urget nos, fratres, multus amor vester et religiosa invitat devotio, quia debitores sumus, ut quaedam vobis scribamus.“ [7]). „Quanquam sperem dilectionem tuam ad omne opus bonum esse devotam, tamen pro familiaritate, qua nobis conjunctus esse cognosceris, ut tua efficacior fiat industria, congruum nobis visum est has fraternitatis litteras tuae dilectioni debere dirigere“ [8]). „Multa mihi fiducia est apud vos, fratres, et multa gloriatio pro vobis; repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione vestra“ [9]).

Fontes: *biblia sacra* (apud Ps.-Isidorum in epistolis 13.); *epistolae* Damasi (apud Ps.-Is. in epp. 2.), Siricii (in epp. 2. apud Ps.-Is.), Innocentii I. (in epp. 4.), Zosimi (in epp. 3.), Coelestini (2.), Leonis (in epp. 30. apud Ps.-Is.), Hilarii (4.), Simplicii (3.), Felicis III. (2.), Gelasii (1.) Symmachi (1.), Hormisdae (4.), Vigilii (1.), Gregorii I. (4.), Gregorii II. (1.), — Honorii (1.), Attici Cptani (1.), Cuthberti (1); *Concil.* Chalcedon. (1.), Lateran. sub Martino I. (6.), Toletan. X. (1.).

ג. Epistolas ad finem vergentes usitato modo valedicendi, saepissime vero communibus, aut — ut in genuinis quoque antiquis invenimus epistolis, — talibus claudit sententiis, quibus modo dicta animis legentium firmius inculcentur. Exempla haec illustrabunt: „Omnipotens, inquit, Deus sua te protectione custodiat atque ad coelestis remunerationem patriae multiplici animarum fructu perducat.“ [10]). „Valete in Domino....“ [11]). „Vos ergo invicem exhortamini, perfecti estote semperque gaudete; pacem autem sectamini in omnes, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Deo autem et patri nostro gloria in saecula saeculorum, amen!“ [12]). „Semper rogo vos, ut deteriora rejiciatis et meliora perficiatis, quia nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis, ea sectamini indifferenter.“ [13]).

Fontes: *biblia sacra* (apud Ps.-Isid. in epp. plus quam 20); *epistolae* Damasi (in una ep. apud Ps.-Is.), Siricii (4 apud Ps.-Is.), Innocentii (3.), Coelestini (4.), Leonis (17.), Gelasii (3.), Hormisdae (1.), Vigilii (1.), Joannis II. (1.), Gregorii I. (16.), Gregorii III. (2.), Zachariae (2.), — secunda Clementina (2.), Africanorum ad Bonifacium (1.), Justiniani (1.), synodica Concilii II. Turon. (1.); *Concil.* Lateranense sub Martino I. (6.), Toletan. VIII. (1.), Roman. sub Gregorio II. (1.); *alia scripta* scil. Augustini (1.), Ennodii (2.), Benedicti (1.), Cassiodori (2.), et symbolum „Quicunque“ (1.).

---

7) Clem. ep. 3. e lib. IV. Recognitionum.

8) Steph. 1., Eutych. 1., Joh. III, 1.

9) Hygin. 2. 10) Clem. ep. 2. 11) Fabian. ep. 1.

12) Evarist. 1. 13) Pii ep. 1.

β. In synodis vero cudendis eandem, quam in epistolis, observavit regulam. Quo minus enim concilium, quod Julio affinxit, a vulgari conciliorum forma discreparet, tale ei dedit initium, quale in synodo Romana, sub Zacharia papa in causis Bonifacii Moguntini et haereticorum Germanicorum celebrata, expressum invenerat. In synodo V et VI. sub Symmacho accurate antiquiorum imaginem expressit conciliorum Symmachianorum [14]. Ineptissimas enim phrases, velut: „Ut fiat rogamus, ut fiat rogamus! dictum est octies. — Exaudi Christe! Symmacho papae vita! dictum est duodecies," et nomina subscripta inde desumsit; quin, quo plures afferret auctoritates, multas subscriptiones e Concilio Chalcedonensi in suas merces transtulit.

b. *Argumentum decretalium.*

§. 9.

α. De materia dogmatica.

Praeter symbolum Nicaenum [1]) et expositionem symboli apostolici [2]) de rebus dogmaticis eas tantum sententias affert, quas contra Arianos et Eutychianos ii, qui Catholicos se dicebant, tanquam firmissima argumenta in medium protulerunt. Primo igitur oppugnantur ii, qui probare voluerunt, patrem filio esse majorem [3]); tum refelluntur qui de trinitate et unitate deitatis non recte statuerunt [4]); deinde de filii incarnatione et missione disseritur [5]); denique vero de duabus in Christo naturis vetera recitantur [6]).

Hos omnes ad verbum descripsit locos ex Ithacii episcopi Ossonubensis (sive, ut alii volunt, Vigilii Thapsensis) libello adversus Varimadum Arianum (apud Ps.-Isid. in epistolis duodecim), ex Leonis I. ep. 97. [7]) (apud Ps.-

---

14) Hinc fortasse evenit, ut ne Blondellus quidem eas Ps.-Isidori figmenta esse senserit.

1) Synod. Romana sub Julio, epistola Aegyptiorum ad Liberium; vide et ep. 13. Liberii, ubi fraudator fidem Nicaenam ab hoc Papa velut firmatam atque probatam facit.

2) Clem. 1.

3) Eam ob causam patrem filio majorem voluerunt, quia propheta (Jes. 10.) dixerit: „Verbum faciet dominus breviatum universo orbe." Anacl. 2. — quia pater solus lucem habitaret inaccessibilem. Evarist. 1. — quia scriptum sit: „Deum nemo unquam vidit." Felic. I, 3. — quia patri soli sacrificium immolaretur. Marcellin. 1. — quia scriptum sit: „Pater major me est." Joh. II, 1.

4) Alex. 1., Sixt. I, 1., Pelag. I, 1., Benedict. I. ep. unic.

5) Hygin. 1., Soter. 1., Sixt. II, 1.

6) Dominus noster, Jesus Chr., verus deus et verus homo credendus est. Eutych. 1. de eadem re et de duarum in Christo naturarum inseparabili conjunctione cf. Caji, Agap. 1.

7) Quaecunque Leo ex Hilarii libello de trinitate laudat, Ps.-Isidorus cum ipsius Leonis additamentis in suas transscripsit epistolas; Möhlerus ergo (*Fragmente aus und über Pseudo-Isidor* in libello: *Tübinger kathol.-theol. Quartalschrift*, *Jahrg.* 1829. *Heft* 3. p. 483.) asserens, ex Hilario illo Ps.-Isidorum hausisse, errat.

Isid. in tribus epp.), ex historia tripartita (in tribus epp.) et e Venantio Fortunato (in ep. una).

§. 10.

β. De materia morali.

Praecepta moralia atque cohortationes, quae maximam decretalium partem explent, hoc capite complectimur. Ps.-Isidorus, ratione habita ejus rei, quam modo tractaverat, longis ubivis allatis sententiis etiam atque etiam usque ad nauseam monet, ut modo exposita religiose observentur. Quarum quidem sententiarum multae alias aliter sunt intelligendae, siquidem aliis verbis cohaerent, multae vero, praesertim e scriptura sacra petitae, neque cum prioribus nec cum posterioribus locis possunt conjungi. Sed utcunque res est, in duas tamen tota materia optime dividitur partes, prout scilicet aut generalem aut specialem habet sensum.

1. Inter illos locos, quos sensu latiori accipias necesse est, primum sententiae proprie sic dictae enumerandae sunt, velut: „Facile est verbo fallere hominem, non tamen Deum [1]). — Non bene vivit, qui non recte credit. — Nihil mali vult, qui fidelis est. Nullus bonorum inimicum habet nisi malum, qui ideo esse permittitur, ut aut corrigatur aut per ipsum bonis exerceatur [2]). — Necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium [3])."

Haec et similia desumta sunt ex sententiis Sixti Pythagorei, Prosperi Aquitani et epistola Cangyth Abbatissae ad Bonif. Moguntinum.

Tum vero et laicos et clericos hoc modo alloquitur:

„Quum fundamentum virtutis fides sit atque amor erga Deum, unusquisque, qui Christi nomen profitetur, veram fidem verumque Dei amorem vita sua ostendere debet. In praecepto vero Domini: „Dilige Deum tota mente et toto corde et tota virtute et proximum tuum tanquam temetipsum" verba „et proximum tuum tanquam temetipsum" haudquaquam praetermittenda sunt. Quomodo igitur tu Deum diligere poteris, qui, erga fratrem tuum nullum habes amorem? [4]). Omnes porro homines, ad Dei similitudinem creati, hancce, qua tenentur, Dei cognationem dictis factisque probent! quomodo autem aliter probabunt, nisi si ejus justitiam et erga omnes amorem imitantur, nisi si sapientiam hujus mundi derelinquunt!" [5]).

---

1) cf. Alex. 3., Zeph. 1., Cornel. 2., Luc. unic., Melch. unic.

2) cf. Callist. 1.

3) cf. Benedict. I. ep. unic. ex Philone Judaeo.

4) Clem. 1., Evarist. 2., Pii I, 1., Marcell. 2., Sixt. III, 3., Silver. 2., Pelag. II, 2., Gregor. ad Felic.

5) Anaclt. 1., Urban. 1.

— hausta e scriptura sacra, prima Clementina, Ambrosii libello de dignitate homin., Eucherii homil. pentecost., Benedicti regula, Gregorii M. epp., moral. in Job., homil. in evangelia, Isidori Hispal. sententiis.

Porro huc referenda sunt et quae auctor, quoties Papas suos de rebus dogmaticis egisse finxit, in gratiam ejusdem argumenti monet (Evarist. ep. 1. pag. 150. — secundum edit. Blondelli — ex 1 Joh. 5.; Eutych. ep. 1. pag. 368 et 369. ex Eccls. 5 et 6., Gelas. ep. 9.; Marcellin. ep. 1. pag. 387. ex Hormisdae ep. 51.; Synod. Rom. sub Julio ex histor. trip. II, 11. et IV, 24.; Athanas. et Aegyptiorum ep. ad Liberium pag. 483 e Concil. Lateran. sub Martino) et quae de omnium episcopis obtemperandi officio profert [6]), petita

e scriptura sacra, praesertim Zach. 2., Matth. 10., e prima Clementina et e Rufini hist. eccl.

Longas denique partes e bibliis sacris descriptas, ex sententia Ps.-Isidori generalem sensum praebentes, ubivis reperies, velut: Callist. 1, Melchiad. 1, Anastas. 1, Sixt. III, 3, Joan. III, 2.

2. Admonitiones speciales, quae

a. ad laicos spectant, nihil fere aliud continent, nisi tales sententias, quibus hi, ne clericos, inprimis episcopos, vexent vel accusent [7]), neve res ecclesiarum sibi arrogent [8]), iterum atque iterum commonentur.

— deducta ex scriptura sacra, Hieronymi interpretatione Ps. 82., epp., Augustini tractat. 50 in Joan., prima Clementina, Procli Cpltani ep. ad Domnum Antiochenum, Prosperi Aquitani sententiis, Justiniani imperatoris libello de tribus capp., Isidori Hispal. sententiis, Bonifacii Moguntini epp., Concilio Paris. 829, Aquisgran. 836.

b. Clericos hortatur,

α. ut et ipsi resipiscant animumque suum excolant et alios ad meliorem vitam reducant [9]),

— ex scriptura sacra, prima Clementina, libris Recognitionum, Ambrosii libello de dignitate sacerdot., Hieronym. in Tit. 1., Augustin. de pastoribus, Coelestini et Leonis epistolis, Prosper. Aquit. sententiis, Gregorii M. regul. pastor., Isidori Hispal. sententiis et synodica concilii II. Turon.

---

6) Clem. 3., Evarist. 2., Alex. 1., Pontian. 1., Melchiad. decretum.

7) Clem. 1 et 2., Anacl. 3., Evarist. 2., Thelesph. unic., Pii I, 1., Zeph. 1., Anter. unic., Fabian. 2., Felic. I, 1., Marcell. 2., Excerpta ex synodalibus gestis Sylvestri, Jul. 1 et 2., Felic. II, 1., Damas. 4., Pelag. II, 2., Gregor. ad Felic.

8) Anacl. 1., Urban. unic., Pii 2., Lucii unic., synodd. sub Symmacho.

9) Anacl. 1., Lucii unic., Felic. I, 1 et 2., Marcell. 2., Marc. unic., Zeph. 2., Eutych. 2., Felic. II, 2., Sixt. III, 3., Pelag. II, 2., (Fabian. 2.).

β. ut omnes oppressos, pauperes, viduas, orbos tueantur [10]);

— e scriptura sacra, libris recognitionum, Coelestini epp., Flaviani Cptani ep. ad Leonem, Ennodii dictt. et epp., Gregor. M. epp., Concilio Lateran. sub Martino, Concl. VIII. Toletano et Bonif. Moguntini epp.

γ. ut, quemadmodum Dominus redemtor noster, quem inimici indefesso odio persecuti sint, non refragatus omnes dolores toleraverit, ita et ipsi persecutiones malorum hominum patienter sustineant, neve de officio suo ullo modo decedant [11]);

— e scriptura sacra, Augustini libello de pastoribus, Coelestini et Leonis epp., Prosper. Aquit. sententiis, Ennodii dictt., Gregor. M. epp., Concl. II. Hispal., Concl. Lateran. sub Martin.

δ. ut nullas contentiones nullave dissidia inter se concitent nec esse sinant, sed mutuo amore se amplectantur [12]);

— e scriptura sacra, libris recognitionum, Concilio IV. Carthag., epistolis Leonis, Prosper. Aquit. sent., Gregor. Mag. regul. past. et epp., Isidori Hispl. sent., Concil. Lateran. sub Martino, Tolet. VIII. et Bonif. Moguntini epp.

ε. ut eo quisque loco eoque honoris gradu, quo sit positus, contentus sit ordinemque institutum observet [13]).

— e scriptura sacra, epistolis Siricii, Innocentii, Coelestini, Leonis, Hormisdae et Gregorii M.

§. 11.

γ. *De fundamento historico.*

Ps.-Isidoro, mercibus suis fidem conciliare studenti, quaecunque de vita, scriptis et institutis paparum nota fuerant, accurate erant colligenda. Neque sane quidquam hujuscemodi praetermisit, sed omnes libros, qui de papis referrent, qualia in usum suum convertere posset, diligenter adhibuit, nimirum *Cassiodori historiam tripertitam*, *Gregorii Magni epistolas* et *librum pontificalem*, Damaso adscriptum.

10) Clem. 1. 2. 3. 5., Anacl. 1. 2. 3., Evarist. 2., Alex. 1., Anicet. unic., Soter. 2., Zeph. 1., Callist. 2., Pontian. 2.

11) Clem. 3., Anacl. 1., Thelesph. unic., Zeph. 1., Anter. unic., Lucii unic., Agath., Felic. I. 2., Damas. 4., Pelag. II. 2 et 8.

12) Clem. 1 et 2., Anacl. 3., Alex. 2 et 3., Hygin. 1., Victor. 2., Zeph. 1., Callist. 1., Anter. unic., Fabian. 1., Cornel. 1., Steph. 2., Felic. I. 1., Eutych., Marcellin. 2., Euseb. 2., Melch. unic., Jul. 1., Felic. II. 1., Damas. 4 et 5., Felic. IV. 1. Greg. M.

13) Anacl. 3., Anicet., Fabian. 2., Sixt. II. 2., Euseb. 3., excerpta e gestis synodalibus Sylvestri, Bonif. II. ep. unic.

1. In libro pontificali de *Clemente* narratur, quod „multos libros zelo fidei" scripserit; hinc evenit, ut Ps.-Isidorus plures Clementi, quam aliis pontificibus affinxerit epistolas et expositionem symboli apostolici e Venantio Fortunato petitam ei tribuerit. *Anacletum* Ps.-Damasus a Petro presbyterum ordinatum esse dicit; idem Ps.-Isidorus in ep. 2. ejusdem papae narrat. De *Evaristo* legimus: „Septem diaconos ordinavit, qui custodirent episcopum praedicantem propter stylum veritatis"; idem eadem de re Ps.-Isidorus in ep. 1. Evaristi statuit. De *Alexandro* dicitur: „Hic passionem domini miscuit in precatione sacerdotum quando missae celebrantur; hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum." idem in ep. 1. Alexandri legimus. *Sixtus* I. secundum librum pontificalem „constituit, ut nemo sacra vasa nisi ministri ecclesiae tangerent, et quicunque episcopus ad sedem Romanam apostolicam vocatus fuerit, rediens ad parochiam suam non susciperetur nisi cum formatis salutationis ad plebem a sede apostolica." — quod et Ps.-Isidorus in ep. 2. ei tribuit. *Thelesphorus* apud Ps.-Damasum praecepit, „ut septem hebdomadas ante pascha jejunium celebraretur, ut in natali domini nostri noctu missa celebraretur, quum omni alio tempore ante horae tertiae cursum nullus praesumat missas celebrare, quia in ea hora dominus noster ascendit in crucem; et ut ante sacrificium hymnus diceretur angelicus: gloria in excelsis Deo;" quae quidem omnia et Ps.-Isidorus ei adscripsit. De *Hygino* narrat liber pontificalis eum „de Athenis" esse; hanc ob causam secundam suam falsam epistolam hic pontifex Atheniensibus misit. De *Pio* scriptum est: „Sub hujus episcopatu frater ipsius Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei praecepit angelus Domini, quum veniret ad eum in habitu pastoris, ut sanctum Pascha die dominica celebretur;" eadem habes in ep. 1. ejusdem Papae. „*Anicetus*, ut garrit Ps.-Damasus, constituit, ut clericus comam non nutriret secundum praeceptum Apostoli;" quod Ps.-Isidorus quoque in hujus pontificis ep. unica constituit. In *Soteris* ep. 2. Ps.-Isidorus vetat secundum librum pontificalem, „ne sacratae foeminae vel monachae pallam sacram neve sacra vasa contingerent vel incensum circa altaria deferrent." Libri pontificalis de *Eleuthero* commentum: „hic constituit, ut nulla esca esualis, quae tamen rationabilis et humana est, quam Deus creavit, a christianis maxime fidelibus repudiaretur," eidem Ps.-Isidorus adtribuit. Quae porro ibidem de *Victore* invenit: „hic constituit, ut sacrum pascha die dominica celebraretur, sicut Pius; et constituit, ut, necessitate faciente, ubicunque inventus fuerit quicunque hominum ex gentibus veniens, sive in flumine, sive in mari, sive in fonte, sive in stagno baptizetur; et constituit, ut a XIV^ta^ luna primi mensis usque ad XXI^mam^ die dominica custodiatur sanctum pascha;" in ejusdem epistolam primam transscripsit. Quod de presbyterorum ac levitarum ordinatione in ep. 2. *Zephyrini* garrit, sine libri pontificalis auxilio minime potuisset. Inde quoque desumsit *Callisti* (ep. 1.) constitutum de jejunio quater per annum celebrando. Quaecunque porro in ep. prima *Fabiani* de septem diaconis ac subdiaconis et de Novato et Novatiano sermocinatur; quascunque fabulas in ep. prima *Cornelii* de femina quadam Lucinia, quae Apostolorum Petri et Pauli corpora de catacombis levaverit et in Vaticano sepeliverit; quaecunque denique in eadem

epistola de Novato, Novatiano, Nicostrato et Maximo narrat, ex saepe laudato fabularum libro hausit. *Lucium* Ps.-Damasus constituisse asserit, „ut duo presbyteri aut tres diaconi in omni loco episcopum minime desererent propter testimonium ecclesiasticum;" idem ei Ps.-Isidorus adscripsit. Deinde secundum librum illum *Stephano* (ep. 1. pag. 332.) tribuit statutum „de vestimentis ecclesiasticis", *Dionysio* (ep. 2. pag. 350 et 351.) praeceptum „de ecclesiis parochianis", *Felici* I. (ep. 2. pag. 361.) „de missis super memorias Martyrum celebrandis", *Eutychiano* (ep. 1. p. 369.) „de frugibus benedicendis et Deo offerendis", *Cajo* (ep. unic. p. 384.) „de gradibus, quibus ad munus Episcopi ascendatur et de regionibus inter diaconos dividendis." Quum in libro pontificali legisset *Marcellum* omni modo a Maxentio fuisse vexatum, statim ei affinxit epistolam (secundam scilicet), in qua tyrannum illum vehementer increpat. Ex auctoritate ejusdem libri statuit in ep. 1 et 3. *Eusebii* (p. 403 et 420.) haereticos in sanctae trinitatis nomine baptizatos per manus impositionem esse reconciliandos et suscipiendos, et epist. 3. p. 420., quando dies festus inventionis crucis sit celebrandus; in epistola unica *Melchiadis* (p. 431.) de jejunio quinta feria non celebrando. Quae vero in hac epistola de manus impositione, de baptismo et de discrimine inter utrumque disserit, vita Sylvestri ductus narrasse videtur. Quin, ut in capite tertio videre licet, excerpta ex gestis Sylvestri componens librum pontificalem minime neglexit.

Duae illae epistolae, scilicet *Damasi* (tertia) ad Hieronymum et hujus ad illum, et e libro pontificali, in quo legitur: „Hic constituit, ut Psalmi die noctuque canerentur per omnes ecclesias" et e Gregorii Magni, ut videbimus, narratione sunt deductae. *Anastasii* epistola prima tota secundum librum pontificalem conficta est, ubi dicitur: „Hic constituit, ut quotiescunque sancta evangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent; et hoc constituit, nulla ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi, nisi quinque episcoporum designaret chirographos, quia et eodem tempore Manichaei inventi sunt in urbe Roma." — *Sixti* III. epistolae tertiae (p. 564 et 565.) verba: „Quod ergo mandastis — me purgavi." et „Ista omnia postposui — his similia." et totam *Joannis* I. ep. secundam sine Ps.-Damasi auxilio nunquam in lucem emittere potuisset. — Ecclesiam Africanam, duce Aurelio episcopo Carthag., horrendam Romanorum pontificum arrogantiam viriliter repulisse Ps.-Isidorus haud ignorabat; jam quum in libro pontificali de *Bonifacio* II. legisset: „eodem tempore venit relatio ab Afris episcopis de constitutione et ut cum consilio sedis Apostolicae omnia Carth. episcopus faceret;" hinc fingendi occasionem nactus, quendam Eulalium — quod quidem nomen e vita Bonif. I. surreptum pro libitu ponit — episcopum Carthag. „omnes scripturas adversus Romanae ecclesiae privilegia a praedecessoribus suis (scilicet Aurelio) factas damnasse, pacem et communionem Romanae ecclesiae humiliter petiisse" somniat. De *Joanne* II. liber pontificalis refert: „Eodem tempore vir religiosus, Augustus Justinianus, summo amore christianae religionis misit fidem suam scriptam chirographo proprio ad sedem Apostolicam." et hancce ob causam in ep. 1., quam huic papae affictam habemus, impostor rem dogmaticam tantum tractat. Eodem modo in ep. 5. *Agapeti* res sese habet,

in qua scilicet fraudator ideo de duabus in Christo naturis sermocinatur, quia in libro pontificali legerat, Agapetum Constantinopolim ad Imperatorem a Theodato missum ibi Anthimium haereticum, quippe de duabus in Christo naturis non recte sentientem, reprehendisse. Epistolae *Silverii* et *Amatoris* ad eundem, ademto libro pontificali, plane corruunt. *Benedicti* I. (p. 622.) denique figmentum: „Fame enim nimis affligitur populus Romanus, qua clade etc." e libro pontificali derivatum est [1]).

2. Sed et secundum Gregorii Magni epistolas falsarius figmenta sua fabricatus est. Quod enim in epistola *Hieronymi ad Damasum* praecepit: „Alleluja semper cum omnibus psalmis affigatur." — ex Gregorii Registro l. IX. ep. 12. (alias IX, 64.), ubi idem de Hieronymo et Damaso narratur, desumsit. Dein omnia, quae in ep. 8: *Pelagii* II. de arrogantia Joannis, episcopi Cpltani clamat, sane non dixisset, nisi apud Gregorium M. ep. 36. l. IV. legisset, Pelagium eadem de re illi Episcopo scripsisse.

3. Omnia momenta historica, quae in laudato Cassiodori libro ad papas suos pertinentia invenit, sibi notavit et hisce documentis intexuit: a. *epistolae Orientalium ad Julium*, ex histor. trip. IV, 9 et 16. X, 17.; b. *Julii epistolae secundae* ex histor. trip. III, 4—7. IV, 2. 5. 6. 19. 15. 19. 24. VI, 22. X, 17.; c. *Synodo Romanae sub Julio* ex. histor. trip. II, 11.; d. *Felicis* II. *epistolae primae* ex histor. trip. IV, 15.

Epistola Aegyptiorum ad Marcum ficta videtur ex historiae trip. cap. 22. l. VI., ubi Athanasius propter suam se defendit fugam, et ex praefatione Nicaeni concilii in Codice Quesnelliano, ubi Victorem et Vincentium, Sylvestri legatos, synodo Nicaenae interfuisse falso narratur [2]).

Quo melius totam expediret rem, tempus etiam, quo decretales scriptas esse voluit, non omisit definire. Notis enim consulum, saepissime ex libro pontificali (nimirum in plus quam 60 epp.) petitis, documenta sua claudit. Quoties vero nomina consulum in hocce libro non invenit, toties more solito nova finxit. Quid? quod in vita Urbani consules non legens eos ex Callisti repetit vita! Quid? quod in epistola 13 Liberii pro Asclepiodoto, qui tamen illo minime vixit tempore, ponit: „Asclepio et Deodoto viris clariss. coss."! In vita Agapeti Justiniani imperatoris regisque Theodati fit mentio, statim eos consules fuisse vult nominaque eorum quintae Agapeti epistolae adjicit [3]). Ceterum novos quoque pro libitu consules creat [4]). Hinc igitur

---

1) Non mirum, quod Ps.-Isidorus haecce figmenta saepissime vario modo amplificaverit ac dilataverit; eam quoque ob causam e sacramentario Gregorii aut ordine Romano quaedam descripsit.

2) Statutum Fabiani de chrismate conficiendo etc. ex concilio Aquisg. 836 esse deductum jam supra monuimus. — Jam vero patet, quam falsa sit illa Theineri (p. 74.) exclamatio: „Mira antiquitatum ecclesiasticarum, rituum totiusque disciplinae ecclesiasticae cognitio in decretalibus deprehenditur, quae nullo modo obscurum aliquem Germanum earum auctorem probat!"

3) cf. quoque Pelag. I. ep. 1. Joan. III.

4) Felic. II, 1 et 2. Damas., Anastas., Sixt. III, Vigil.

colligere licet, quam male Möhlerus [5]) et sine omni jure Ps.-Isidorum, quippe qui summo labore temporum rationem eruerit suumque hac in re progressum viris eruditis, consulum notis adjectis, satis ostenderit, tanquam historiae Romanae studiosissimum laudet.

§. 12.

δ. *De materia, quae spectat ad jus et institutiones Ecclesiae.*

Quodvis aedificium, quo auguste sancteque Deum homines volunt adorari, a pontifice est consecrandum [1]), neque etiam aliis Deo nisi hisce sanctis locis sive ecclesiis sacrificia offerri debent [2]). — Ecclesiarum res, quas inde a Constantini Magni temporibus viri religiosi tanquam dona iis contulerunt, nemo sibi arroget! quas autem qui rapit, nefandissimum scelus, sacrilegium, committit et gravissimis poenis afficiatur necesse est [3]).

— e scriptura sacra, Concilio Laodiceno, Codice Theodosiano (ante Gothofredum scilicet, sive Breviario Alarici), Bonifacii Moguntini epistolis et Concil. Paris. 829 et Aquisgr. 836.

Ordo ministrorum ecclesiae bipartitus est, majorum scilicet ac minorum; illi Apostolorum, hi LXX Domini discipulorum sunt successores. Minores a majoribus, i. e. episcopis, sacerdotum numero adscribuntur iisque quavis in re obedire debent [4]) (— ex Isid. Hispal. de offic. eccl. et libris Recog.).

Episcopi vero a Coëpiscopis (tribus minimum) sunt consecrandi majoribusque tantum ecclesiis praeponendi. [5]) (— e Concl. Nicaen., Isid. Hispl. de off., Zachar. epp.).

Chorepiscoporum ergo, qui secundo sacerdotum ordini adscribuntur, quocunque modo compescenda est insolentia, qua Episcoporum jura sibi arrogant. [6]) (— e Concil. Neocaes., Antioch., Hispal. II., Paris. 829 et Innocentii I. epp.).

Ecclesiam suam deserere et ad aliam sese conferre nemini licet; summa tamen necessitate cogente et ceteris episcopis consentientibus aut sedis Romanae auctoritate id facere licet. [7]) (— ex statt. eccl. antiqq. et Concil. Sardic.).

Res ecclesiarum episcopi administrant easque in pauperum, ecclesiarum atque eorum usum praesertim convertere debent, qui communi vita conjuncti

---

5) l. c. pag. 518.

1) cf. Clem. 2., Gregor. M. ad Felicem.

2) Clem. 3., Anaclt. 1., Felic. IV, 1.

3) Anaclt. 1., Pii 2., Urban. unic., Lucii unic., Melchiad. decret., synodus VI. sub Symmacho.

4) Clem. 1, 3. Anacl. 2, 3. Fabian. 2. Damas. 5. Joan. III. unic.

5) Clem. 1. Anacl. 2, 3. Damas. 5. Joan. III. unic.

6) Damas. 5. Leon. 88. Felic. IV, 1. Joan. III, unic.

7) Evarist. 2. Callist. 2. Anter. unic. Pelag. II, 1.

summo numini ejusque cultui sese consecrarunt. [8]) (— ex Concl. Paris. 829 et Aquisgr. 836.).

Primi episcoporum, tanquam primi inter pares, sunt *Metropolitani* sive *Archiepiscopi*. Ipsi nullum habent jus nullamque in episcopos potestatem, neque in horum parochiis absque eorum consensu quidquam agere eis licet, attamen concilia provincialia, quae bis, vel semel certe, quotannis celebranda sunt, convocare iisque praesidere debent. [9]) (— ex Canon. Apostoll., Concl. Nicaen., Antioch., Greg. M. Registro).

Episcopus vero pluribus civitatibus vel regni cujusdam episcopis praepositus *Primas* nominatur sive *Patriarcha* [10]) (cf. P. II. §. 19.). Omnibus autem ecclesiis et omnibus episcopis praefectus est *Pontifex Romanus*. Is enim Petri et Pauli successor hanc eximiam dignitatem a Petro, quippe qui a Domino ejusque Apostolis princeps fuerit creatus, tanquam haereditate accepit. [11]) (— ex praefat. Concl. Nic. in Cod. Quesnelliano, Leonis I. epp., Isid. Hisp. de off.). Hanc igitur ob causam et quoniam omnes occidentis ecclesiae a Romana sint fundatae [12]) (— ex Innocent. et Leonis epp.), nemini licet ulla in re ullave doctrina ab illo summo pontifice discrepare, imo quicunque ei amicus esse vult, in omnibus ei obediat necesse est [13]) (— ex Innocent. et Gelas. epp.); is porro concilia generalia convocat et conciliis provincialibus sua comprobatione dat auctoritatem [14]) (— ex histor. trip. cf. tamen cap. 1.); is denique summas ecclesiae causas summaque negotia judicat [15]) (— ex Innocent. et Leonis epp.), nisi aliis fortasse haec judicanda reliquerit [16]). Quas inter causas eae episcoporum, praesertim quum accusati fuerint, sunt numerandae [17]) (— ex Concl. Sardic.). Episcopi, Domini et Apostolorum successores, summo honore digni et omnibus, qui civili munere funguntur, majores, a nemine debent laedi vel vexari [18]) (— ex Anastas. epp., Greg. Mag. regul. pastor., Isid. Hisp. de off. et sentt., Concl. Tolet. XI.).

---

8) Urban. unic. Melchiad. decret. Synod. VI. sub Symmacho.

9) Clem. 1. Anaclt. 2. Anicet. unic. Stephan. 2. Callist. 2. Luc. unic. Jul. 1 et 2. Felic. II, 1. Damas. 4. Greg. I. ad Felicem.

10) Clem. 1., Anacl. 2, 3., Anicet. unic., Steph. 2., Jul. 2., Felic. II, 1., Pelag. II, 8.

11) Anacl. 3., Melch. unic., Jul. 1., Damas. 4., Pelag. II, 8.

12) Clem. 1., Callist. 1., Melch. unic., Aegypt. ad Marcum, Aegypt. ad Felicem II., Vigil. ad Profuturum c. 7.

13) Hygin. 2., Pii 1., Callist. 1., Fabian. 2., Sixt. II, 2., Marcell. 1., Jul. 2., Damas. 4. Exemplar precum Eulalii.

14) Marcell. 1, 2., Jul. 1, 2., Aegypt. ad Felicem II., Damas. 4., Pelag. II, 8.

15) Anacl. 3., Alex. 1., Caji unic., Marcell. 1., Jul. 1, 2., Vigil. ad Profut. c. 7.

16) cf. Anicet. unic.

17) Sixt. II, 1., Melch. unic., Jul. 1, 2., Aegypt. ad Felic. II., Afric. ad Damas., Damas. 4 et al.

18) Clem. 1, 3. Evarist. 2. Pontian. 1. Urban. unic. Fab. 2. Steph. 2. Euseb. 1, 2. Excerpta ex synodalibus gestis Sylvestri, Jul. 1. Damas. 4. Synod. V. sub Symmacho. Greg. M. ad Felicem.

Ne igitur ipsi et ceteri clerici, quum accusentur, penitus opprimantur, haecce in accusationibus ratio est observanda. Primo semper de accusantis persona judex inquirat, cujus sit ordinis [19]). Nam quemadmodum minor neminem ipso majorem, ita laicus clericum nullo modo accusare debet [20]). — Sed videns [21]), haec haud facile se posse impetrare, Ps.-Isid. pergit: Quum nulli nisi honesti in jus possint clericum vocare [22]), accurate disquirendum est, quis sit ille accusator; si servus, libertus, improbus, sceleratus, apostata et christianae fidei non addictus invenitur, omnino rejiciendus est [23]). Quotiescunque vero accusator admittitur, semper accusatus, antequam actio instituitur, in pristinam restituendus est dignitatem et omnia, quae ei ablata fuerant, sunt reddenda [24]); tum, quum indicatum fuerit [25]), cur ei lis intendatur, haud parvum temporis spatium concedendum est, ut objectis accurate possit respondere [26]). Illo tamen tempore, quo causa agitur, non solum accusatus, sed etiam is, qui litem instituerat, judicio adsit necesse est, quia neque per alium, neque per scripta causam suam agere ei licet [27]). Testes, quos affert, probi nec ipsi familiares et tot esse debent, quot honor accusati postulat [28]). Clerici porro ad judicium, nisi ad ecclesiasticum [29]) illius provinciae, ubi aut habitant aut crimina commiserunt, nullo modo vocari possunt [30]). Minores scilicet ab episcopis aut, si appellaverint, a Metropolitanis aut Primatibus judicantur [31]); majorum autem, sive episcoporum, causae nonnisi in synodis provincialibus, praesidente Metropolitano aut Primate, ab omnibus ejusdem provinciae Coepiscopis [32]) aut, si hoc fieri nequit, a XII judicibus [33]) tractandae sunt.

---

19) Evarist. 2. Sixt. I, 1. Eleuth. Jul. 2. al.

20) Clem. 1. Callist. 1. Steph. 2. Felic. II, 1. Marcellin. 2. Marcell. 2. Euseb. 1. Excerpta e gestis synodalibus Sylvestri.

21) cf. Fabian. 2. Steph. 2.

22) Pii 1. Zeph. 1. Lucii unic. Dionys. 2. Felic. II, 1.

23) Callist. 2. Pontian. 2. Fabian. 1. 2. 3. Steph. 2. Felic. I, 2. Eutych. 2. Marcell. 2. Euseb. 1, 2. Jul. 2. Felic. II, 1. Pelag. II, 2.

24) Sixt. I, 2. Zeph. 2. Fabian. 2. Steph. 2. Sixt. II, 2. Felic. I, 2. Marcell. 2. Euseb. 2. Jul. 2. Aegypt. ad Felic. Felic. II, 1. Afric. ad Damasum. Damas. 4. Syn. V. sub Symmacho. Joan. I, 1. Pelag. II, 2.

25) cf. Felic. II, 1. cap. 3.

26) Eleuther. Fabian. 2. Stephan. 2. Felic. I, 2. Caji unic. Marcell. 2. Euseb. 2. Jul. 2. Felic. II, 1. Damas. 4.

27) Callist. 2. Steph. 2. Dionys. 2. Jul. 2. Damas. 7.

28) Zeph. 1. Callist. 2. Felic. I, 2. Damas. 4. Excerpta e gest. syn. Sylvestri. Joan. I, 1.

29) Caji unic., Marcellin. 2., Felic. II, 1., Excerpta e gest. syn. Sylvestri.

30) Fabian. 3. Steph. 2. Felic. I, 2. Marcell. 1. Euseb. 3. Jul. 2.

31) Marcellin. 2. Jul. 2. Afric. ad Damasum.

32) Fabian. 3. Steph. 2. Felic. I, 2. Marcell. 1. Jul. 2. Felic. II, 1.

33) Anaclt. 1. Zephyr. 1. — In ep. 8. Pelag. II., judices XI—XII. postulantur.

Licet vero alias res ibi pertractare et si nullus a ceteris dissentit, ad finem possint perducere [54]), episcopum tamen, nisi sedis Apostolicae fulti auctoritate, condemnare nequeunt [55]). Injustam sententiam Papa aut ipse retractat aut per Vicarium suum denuo inquirendam vel rescindendam curabit [56]).

Episcopo autem, antequam causae ejus exitus appareat, nullo modo potest episcopatus adimi [57]). Unicuique denique accusato aut damnato ad eos judices, penes quos e stmajor auctoritas, semper licet provocare [58]).

Horum, quae exposuimus, maximam partem hausit impostor ex Breviario Alarici (sive Codice Theodosiano ante Gothofredum) cum Aniani interpretatione, e gestis et vita Sylvestri, Innocentii epp., Conciliis Carthagg., Synodo Chalced., Ennodio et gestis Symmachi, historia trip. et Gregorii Magni Registro.

---

34) Luc. unic. Jul. 2. Felic. II, 1. Damas. 4.

35) Evar. 2. Eleuth. Victor. 1. Zeph. 1. Marcell. 1, 2. Jul. 1, 2. Aegypt. ad Felic. II. Felic. II, 1. Damas. 4. — Similiter neque a Primatibus sine auctoritate sanctae Romanae sedis episcopi possunt damnari. cf. Zeph. 1. Felic. I, 1. Jul. 2.

36) Victor. Callist. Sixt. II, 1. Marcell. 1. Jul. 1, 2.

37) cf. Felic. I, 2. Jul. 2. Felic. II, 1.

38) Zeph. 1. (unicuique ergo licet etiam ad pontificem Romanum provocare, penes quem scilicet fuit maxima auctoritas). Fabian. 3. Cornel. 2. Lucii unic. Sixt. II, 1. Felic. I, 2. Marcell. 1. Jul. 2. Aegypt. ad Felic. II. Felic. II, 1.

Not. Omisimus haecce statuta: 1. „sacerdotes si post lapsum condignam egerint poenitentiam, Deo ministrare possunt." Callist. ep. 2. cf. Greg. M. ep. ad Secundinum et Isid. Hisp. (?) ad Masonem. — 2. „sacerdotes nullum debent jusjurandum dare" cf. Cornel. ep. 2. — 3. cf. Evar. 2. de conjugiis a sacerdote consecrandis. — Callist. 2. Greg. ad Felic. „de illicitis conjunctionibus."

CAPUT III.

FONTES SECUNDUM SERIEM DOCUMENTORUM ACCURATE ENUMERANTUR.

§. 13.

Inde a Clemente usque ad Melchiadem.

I. Clemens.

Epistola 1. Clementis.

Verba: „*Notum tibi facio — Poenitemini*" — sunt illa prima epist. Clementina, de qua jam supra diximus §. 1. pag. 2.

„*Poenitemini et veram agite poenitentiam*" ex lib. X. Recog. cp. 43. edit. Coteler. —

Marc. 12, 33.

Fides — poterit e Concl. Moguntino 813. c. 1. cf. tamen Venantii Fortunati expositionem symboli „Quicunque" in Muratori Anecdot. latin. T. II. p. 212. Mediol. 1692.

Christo itaque — Diligere ergo etc. ex Venantii Fortunati expositione symboli apostolici. Part. I. opp. p. 371—372. ex edit. Mich. Angesiluchi Rom. 1786. —

Marc. 12, 29—33. Tob. 4, 16. Matth. 7, 12. Vulg.

Quibus utrisque — propagatur ex Greg. M. lib. X. Moral. in Job. cp. XI.

ne malum quis — praestare ex Isid. Hisp. sent. l. III. c. 28. Paris. 1601. fol.

Sic ergo — proximi ex Greg. M. homil. in evangel. l. I. homil. 17, ubi legitur: „sic debemus agere curam nostri, ut non negligamus curam proximi."

Dei dilectio — carnali amore. ex Isid. Hisp. sent. l. III. c. 3.

Qui enim — charitatem Christi, ibidem. —

Matth. 22, 40.

Docibiles ergo — cadunt. ex Ambrosii libello de dignitate sacerdot. c. 4.

Sacerdotes — glorificare deum; secundum Greg. M. ep. 18. l. V. (edit. Benedict.). —

Matth. 5, 11—16.

Opere suo impostorem aliquid efficere voluisse conceditur. Jam vero, quod quis efficere studet, id nondum est; nonne igitur ridicula ista affirmatio, Ps.-Isidorum nihil novi introducere voluisse? Quomodo autem, dicat aliquis, hocce consilium ipsius recte eruam? Perpende, respondeo, ea, quae in scriptis ejus leguntur, quaeque supra tibi indicavi; dein compara temporis, quo vixit, conditionem cum ipsa decretalium materia. — Primum igitur de fundamento historico, videamus, quid sit statuendum. Quid, quaeso, sibi voluit impostor narrans de fame, qua populus Romanus tempore Benedicti I. afflictus fuerit? quid de femina quadam Lucinia, quae corpora apostolorum Petri et Pauli e catacombis levata sepeliverit? quid de Manichaeis Roma expulsis et de sexcentis hujusmodi rebus, quas omnes supra exposuimus? Quibus omnibus perlustratis, statim mihi assentieris, eorum ope fortasse infantibus terrorem injici, sed statum rerum tunc temporis non potuisse transformari. — Quid vero de materia dogmatica? Expositionem symboli apostolici Clementi compilator adtribuit, quippe discipulo apostolorum, symbolum Nicaenum Julio atque Liberio, quippe illo tempore viventibus; Joannem II. et Agapetum de rebus dogmaticis disserentes facit, quia liber pontificalis ad hoc occasionem dederat; quin tota materia ad tempus Ps.-Paparum respicit et lectoribus piis, aetate fraudatoris viventibus, nullius nisi historici tantum esse potuit momenti; nulli enim

Ariani, nulli Eutychiani, quorum haereticas opiniones Ps.-Papae oppugnant, tunc temporis in Gallia atque Germania latebant, nedum vigebant. — Materiam porro moralem, ex sententia fraudatoris cum ceteris tribus conjunctam, quatenus cum duabus jam rejectis cohaeret, missam faciamus; missas deinde faciamus eas omnes supra indicatas sententias, quae aut generalem praebent sensum, aut, uti longae e scriptura sacra descriptae partes, tam multiplices continent res, ut unum et certum quendam impostoris scopum frustra inquiras; missas quoque faciamus prolixas illas e libris recognitionum deductas et Clementi a fraudatore ideo adscriptas lacinias, quia verba ejus esse putabat; missum denique faciamus quidquid epistolae secundae Anastasii I., qua Nerianum quendam de morte parentum cum verbis Gregorii tum suis atque Innocentii consolatur, vel quidquid epistolae secundae Felicis quarta, exhortatoriae ad Sabinam, simile fuerit investigatum. — Nihilne igitur consilii in tota rejecta mole? Nihil! Quemnam vero ad finem allatam vis? Vel stultissimus quisque fraudator de una eademque re, quasi uno tenore, semper se agere non debere intelligit, idque Ps.-Isidorum bene intellexisse, non est quod dubites. Profecto epistolarum genuinarum, Leonis praesertim atque Gregorii, normam sequutus rem dogmaticam, moralem et familiarem tractat iisque omnibus callide ütitur, quae a Ps.-Papis instituta esse ferebantur; jam quum nullam vim nullamque efficaciam in rerum temporis sui conditionem exerere potuerint, iis omnibus tanquam medio, quo ad scopum suum perveniret, nimirum ad fidem mercibus suis afferendam, eum usum fuisse statuendum est. — Quibus dictis apparet, in quarta tantum, supra §. 12. indicata, materia consilium impostoris posse indagari. Ubicunque hic verba ex ore suo profert, semper fere easdem esse contilenas semperque idem atque illud continentia, quod ipse in praefatione sua dicit, invenimus: „Quatenus, ibi inquit, ecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta atque digesta et ss. praesules paternis instituantur regulis et obedientes ecclesiae ministri vel populi spiritualibus imbuantur exemplis et non malorum hominum pravitatibus decipiantur. Multi enim pravitate et cupiditate depressi accusantes sacerdotes oppresserunt, ideo sancti patres leges constituerunt, quas sanctos canones appellarunt. Multi enim ideo alios accusant, ut se per illos excusent aut eorum bonis ditentur." Non ergo dubium, quin Pseudo-Isidorus ecclesiae ejusque ministris consulere voluerit. Quod quatenus ei in animo fuerit et quomodo temporis sui conditio eum ad id compulerit, aliorum antea examinatis sententiis, mox videbimus.

§. 16.

Quaeritur, num viri eruditi de consilio impostoris omnino recte statuerint.

Sententiam sane singularum novissime protulit *Moehlerus* [1]) statuens, omnium, quae in decretalibus contineantur, nihil a consilio pii (si Deo

1) l. c. pag. 508 sqq. Vide comment. nostr. p. 22. not. 7.

placet) poetae [2] esse excludendum, quod tamen modo dictis vel sponte corruit. — Eodem vitio laborat sententia *Walteri* [3]), qui et ipse consilium impostoris cum eo, quo ad finem suum pervenire studebat, confundit. Is enim vult propositum illi fuisse, ut diversorum notitiis monumentorum materias historiae ecclesiasticae institutionumque ecclesiasticarum injuria temporum deletas restitueret earumque ope sui disciplinam temporis probaret atque fulciret. At ut unum tantummodo e multis exemplum seligam, quomodo, quaeso, epistola 8. Pelagii II., secundum Gregorii narrationem ei afficta, quae quidem agit de „profano universalis patriarchae vocabulo", disciplinam tempore suo vigentem potuit probare? Totum, ut jam diximus, historicum fundamentum nonnisi ad scribentium aetatem spectans eorum ut fidem afferret litteris, ab impostore congestum est; neque sane credibile, temporis sui disciplinam confirmando ac fulciendo oleum et operam perdere eum voluisse, nam quidquid de facto viget, non curat jus. „Attamen, inquit *Walterus* [4]), historicum eum habuisse consilium, ex eo elucet, quod neminem antiquissimorum paparum omittens cuivis decretum quoddam affinxit." Imo neminem praetermisit, sed eo videlicet consilio, ut suam collectionem omnium, quae tunc prae manibus erant, redderet perfectissimam hominumque animos ad codicem tam eximiae notae sibi comparandum instigaret.

Synodos provinciales auctoritatemque Metropolitanorum perdere eum voluisse, censet *Spittlerus* [5]). Quod tamen summe venerandi viri judicium hisce restringendum puto: 1. Ps.-Isidorus praedictas synodos perdere noluit, nam Ps.-Anacletum ep. 1. pag. 111. hoc modo praecipientem facit: „Si difficiliores causae aut majora negotia orta fuerint, ad majorem (i. e. Primatis) sedem referantur, et si illic facile discerni non poterunt aut juste terminari, ubi fuerit summorum congregata congregatio, *quae per singulos annos bis fieri solet et debet* — judicentur." vide et Felic. II, 1. c. 3 et 17. Jul. 2. c. 17. Pelag. II, 8. p. 643. Greg. ad Felicem. 2. De jure atque honore Metropolitanorum docet Callist. ep. 2. pag. 258. „Ipsi comprovinciales episcopi cuncta cum Metropolitani consilio, nisi quantum ad proprias pertinet parochias, agant." et Anaclt. ep. 2. pag. 127. „Metropolitanae civitates, quae minores judices habebant, *licet majores comitibus essent* —" cf. Luc., Anicet., Jul. 2. c. 23. 3. Negari nequit, et Ps.-Isidorum utriusque potestatem (cf. §. 19.) compescere voluisse, et concilia

2) Tali honore Ps.-Isidorum esse dignum nego; sed audias *Moehlerum* (pag. 509.): *„Ich gestehe, dafs ich nach der schärfsten (?) Betrachtung der Züge des Isidor keinen arglistigen Zug in ihm finden kann, im Gegentheil kündigt alles einen sehr frommen, innig gläubigen, tugendhaften, um das Wohl der Kirche aufrichtig besorgten Mann an, der keines Betruges fähig ist."* Contra vero moneo: 1. quicunque Blondellum recto oculo legit, Ps.-Isidorum fraudatorem fuisse non negabit; hujuscemodi vero homo boni vel probi nomine plane indignus est; 2. pessimum genus fraudatorum optimam plerumque pietatis probitatisque larvam sibi assumsisse, notum est.

3) l. c. §. 84. pag. 144. Vide comment. nostr. p. 10. not. 7.

4) Ibid. not. p.

5) *Grundrifs der Geschichte der christl. Kirche. Gött.* 1812. §. 13. *S.* 205 *fg.*

provincialia sicuti jura Metropolitanorum, falsis mercibus in lucem emissis, revera esse deleta.

Post alios denique *Theinerus* [6]) statuit, fraudatorem auctoritatem potestatemque Paparum extollendam curasse; sed duplex commisit vitium, quippe quum non solum id, quo ille ad scopum suum pervenire studuit, sed etiam quod promulgatione decretalium evenit, cum consilio ipsius confuderit. 1. Cuilibet enim tunc temporis fraudatori aut regia aut papali auctoritate merces erant propagandae; et reapse hoc bene observatum fuisse, historia testis est. In libello Flori, diaconi Lugdunensis, contra Amalarium, chorepiscopum Lugdunensem, qui multa portentosa, apostolica innisus auctoritate, scripserat, patribus apud Theodonis villam a. 835. (Mansi T. XIV. col. 667. et 668.) congregatis tradito legitur: „qua ratione tot vanitatum „suarum commenta defendit? — libellum Romani ordinis tantae auctoritatis „habet, ut eum paene ad verbum nitatur exponere. — Nec ei satis est, „quod ipse tantis implicatur erroribus atque fantasiis, nisi et totum paene „orbem sui complicem infamet. *Persistit namque sub multorum ponti„ficum ficta auctoritate* suum de ss. eucharistiae divisione ineptissimum, „imo blasphemum confirmare sensum." Aliud imposturae genus can. 6. Concilii II. Suessionensis a. 853. celebrati (Mansi T. XIV. col. 981.) refert: „Post hoc gloriosissimus domnus rex Carolus coram sacra synodo quem„dam diaconum Rhemensis ecclesiae, nomine Ragumfridum, impetit, „*quod praecepta falsa regio nomine compilasset*, sicut ad eum quo„rundam suggestionibus et verisimilibus indiciis esset perlatum." Eodem modo Ps.-Isidorus quoque, ut in capitularibus interpolandis regio, ita in decretalibus credendis papali usus est nomine, nimirum ad auctoritatem eis creandam. Romanae vero sedi consulere eum voluisse quominus credamus, hocce nos impedit. a. Decretales in Germano-Francia ortae ad illum tantummodo spectant ecclesiae statum. b. Explicari nequit, cur sanctae Babyloni addictus auctor omnia jura papalia, quae ad liberandos clericos non spectant, omiserit — (vide Blasc. l. c. pag. 93 sqq.). c. Ps.-Isidorus nullo unquam verbo asserit, papalem dignitatem, quae tunc vigebat [7]), esse laesam; sed ubivis petit, ut sacerdotibus oppressis papae subveniant, eandemque etiam ob causam decretales eis adscribit; quicunque autem aliis auxilium ferre rogatur, et potens et minime sit ipse oppressus necesse est. 2. Cum consilio impostoris eventum falsarum mercium noli confundere; quem quidem si praevidisset Ps.-Isidorus, nunquam profecto opus suum in lucem emisisset. Nam quemadmodum primam secunda miseries magnitudine solet superare, ita ecclesia inique Ps.-Isidori studio saeculari potestate liberata in crudeles Paparum incidit manus. Verum igitur illud poetae:

„Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdin!"

6) l. c. §. 10. pag. 86 sqq. Vide p. 3. not. 10.
7) cf. Alcuini ep. 80. Gieseler §. 5. not. t. et Sergii II. ep. ad episcopos transalp. (Mansi T. XIV. col. 808.) de Lothario, Ludovico et Carolo praecipientem „quod si eorum quilibet post discordiae principum abire maluerit nec catholica fuerit pare contentus hunc merito Deo auxiliante canonicis auctoritatibus" a papa castigatum iri.

CAPUT II.

EXPONITUR CONSILIUM IMPOSTORIS, TEMPORIS SUI RATIONE HABITA.

— *Consulere voluit ecclesiae suae ejusque ministris* —

§. 17.

a. *Consulere voluit ecclesiae suae.*

Duplici potissimum modo hoc observabis. Primum ecclesiarum res atque divitias a laicis eas inhiantibus quavisque data occasione eas rapientibus tutas reddere studet; deinde sacerdotibus, quo melius populum erudirent moresque tunc temporis hominum feroces mitigarent emendarentque, animum suum excolendi injungit officium; primo igitur loco singulis ecclesiis, secundo vero omnibus hominibus patriae suae, qui Christo nomen dederant, prospicere voluit, sive ecclesiae sensu angustiore ac latiore.

1. Demonstrat igitur, quomodo et quem in usum ecclesiae divitias sint adeptae; inde concludit summo jure in earum eas esse ditione neminique eas auferre fas esse. Illis autem, qui in suum eas ad libitum adhibuerint usum aut raptas reddere nollent, saevissimas poenas minitatur. — Melchiadem itaque dicentem facit (decret. p. 422.): „Vir religiosissimus Constantinus „primus fidem veritatis patenter adeptus licentiam dedit per universum „orbem sub suo imperio degentes fieri Christianos, sed etiam fabricare „ecclesias *et praedia tribuere posse* constituit. — Denique reges et „praesides ac magistratus non solum hanc licentiam tribuere, sed etiam „ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum, *unde alerentur „egentes*, qui nihilum in mundo possidebant, *ecclesiaeque Dei fabrica„rentur* atque *restaurarentur Deoque et ecclesiae ejus recte famulan„tibus servisque illius supplementa tribuerentur*."

Dein in epistola unica Lucio adscripta (p. 325. cf. 321.) dicit: „Res „quoque ecclesiarum vestrarum et oblationes fidelium, quas significastis a „quibusdam irruentibus vexari vobisque et ecclesiis vestris auferri indubitanter „*maximum peccatum* sqq." vide et Anaclt. ep. 1., Urbani unic.

In VI^a^ denique ps.-synodo sub Symmacho legitur:

„Competitoribus hujusmodi fraena districtionis imponimus, qui facul„tates ecclesiae sub specie largitatis regiae vel cujuscunque potestatis im„proba surreptione pervaserint. — Hi, qui res ecclesiae jussu vel largi„tione *principum* vel quorundam potentum aut quadam invasione aut

„tyrannica potestate retinuerint et filiis et haeredibus suis (ut a quibusdam „jam factum audivimus) quasi haereditarias reliquerint, nisi cito res Dei, „admoniti a pontifice, agnita veritate, reddiderint, perpetuo anathemate „feriantur."

Temporibus Ludovici pii ejusque filiorum turbulentissimis, plenis discordiarum ac seditionum, magnas ecclesiarum res potissimum in periculo versatas fuisse, divinare licet. Sed diserte hoc affirmat Concilium Meldense 845. celebratum (Mansi T. XIV. col. 813.) hisce verbis: „postquam, inquit, „ab ipsis piae memoriae Ludovici divini Augusti temporibus ecclesia diversis „et diversis coeperat vexationibus fatigari" — vide et Agobard. de dispensatione ecclesiasticarum rerum cap. 15. (Galland. biblioth. PP. T. XIII. pag. 471.).

Quam verae autem fuerint illae Ps.-Isidori querimoniae, docet idem ille Agobardus (cap. 4.): „Necesse ergo, inquit, ut vestra industria (sc. „patrum Concilii Attiniacensis 822.) magnanimitati ejus (imperatoris) sug-„gerat pericula de rebus ecclesiasticis, quas contra vetitum et contra „canones tractant et in usus proprios expendunt homines laici." docet et Eginhardus dicens: „In hoc conventu (sc. Aquisgran. 836.) cum de aliis „rebus ecclesiasticis tum praecipue de his, quas Pipinus (rex Aquitaniae) „et sui multis ecclesiis abstulerant, agebatur." docet Concilium Meldense 845. celebratum can. 42. praecipiens: „ut missi dirigantur, qui res ecclesiasticas in allodium datas inquirant." docent alia innumera monumenta c. 9. Concl. Paris. 829. l. I. c. 18. Attiniac. II. c. 1. Aquisgr. 836. cap. III. c. 8, 19. Auctor vitae Ludovici pii de Concl. Charis. 837. Liceat tamen hunc locum e libello ad Pipinum a patribus Concilii Aquisgr. 836. misso (lib. I. c. 3.) transscribere: „Sunt etiam quidam — qui temerario, imo perniciosissimo „solent dicere ausu: Quid mali quidque discriminis, si rebus ecclesiasticis „in nostris pro libitu nostro utimur necessitatibus? Quid curae est inde „Deo sanctisque ejus, ob quorum amorem Deo dicantur oblatae, quum „utique in eorundem sanctorum usus nihil ex his cedat? Et ubi Deus „haec, quae ecclesiarum rectores opponunt, jussit sibi offerri, praesertim „quum omnia, quae in terris sunt, sua sint et ille ea ad usus hominum „creavit? — Quorum argumentationi insanissimae divinaeque injuriae ple-„nissimae, prout dominus annuerit, ex utriusque testamenti paginis et „sanctorum patrum dictis eximiis tentabimus respondere."

2. Sed et alio modo saluti ecclesiae eum prospicere voluisse ex hisce probatur. In ep. 1. Clementis pag. 14. legitur „sacerdotes doctiores caeteris „populis necesse fore, docebat Christus dicens: si caecus caeco ducatum „praestet, ambo in foveam cadunt." et in ep. 3. ejusdem ps.-papae pag. 72. „vos ergo, qui sacerdotio Dei fruimini et in specula estis positi, plus scire „oportet, ut subditos vobis populos pleniter docere possitis." denique in ep. 1. Ps.-Anacleti pag. 107. praecipitur „Doceri ergo omnes oportet, qui „domini sacerdotio funguntur, ut et ceteros instruant et sibi proficiant." vide et Clem. ep. 5. Zeph. ep. 2. Ps.-Isidorum temporis sui conditione ductum recte hoc praecepisse docent. Concl. Paris. 829. l. III. c. 12. 22. Attiniac. II. c. 2. Aquisgr. 836. Cap. I. c. 6. II. part. 1. Licet enim Ludovicus

pius magnum patris sui, scientiarum artiumque amantissimi, exemplum secutus scholas a rectoribus ecclesiarum non negligendas praecepisset, tamen a multis haec decreta non observata fuisse e Concl. Paris. 829. l. I. c. 30. edocemur, ubi legitur: „Jam dudum a pio et orthodoxo principe, „Domno Ludovico, Deo amabili imperatore, jussum et admonitum est, ut „rectores ecclesiarum in ecclesiis sibi commissis strenuos milites Christi, „quibus Deus placari posset, praepararent et educarent, sed super hac „ejusdem principis admonitione, imo jussione, a nonnullis rectoribus tepide „et desidiose hactenus actum est." [1]).

b. *Consulere voluit ministris ecclesiae suae.*

§. 18.

a. Clericis canonicis.

Regulis Chrodegangi [1]) a Carolo M. 789 et a Ludovico pio 816 confirmatis et deinceps per omnes fere Galliae Germaniaeque ecclesias propagatis vita canonica magis magisque vigere coepit. Clerici, qui communem vitam secundum regulas illas agebant, ad paupertatis, castitatis et obedientiae vota observanda adstringebantur. Episcopis vero, illorum ducibus atque rectoribus, injunctum erat officium necessarium eis administrandi victum. Horum quum multi res omnium sustentationi destinatas in suum potius proprium quam clericorum pauperum adhibuissent usum, illorum contra haud pauci, quae possidebant et in communem usum reddenda voverant, aliorum fortasse edocti exemplo et ne fame penitus exsiccarentur, ea retinuissent votumque paupertatis violassent, Ps.-Isidorus utramque ceteris valde noxiam agendi rationem aperte corrigere studet. Laudata enim in ep. 5. Clementis p. 97. illa vita communi hisce verbis: „Communis „vita, fratres, omnibus necessaria est et maxime his, qui Deo irreprehen„sibiliter militare cupiunt et vitam apostolorum eorumque discipulorum „imitari volunt. —" Ps.-Urbanus ep. unic. pag. 269. sic pergit: „Quicun„que vestrum communem vitam susceptam habet et vovit se nihil proprium „habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc, quod „Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed praemium „sibi acquirat, quoniam satius est non vovere, quam votum prout melius „potest non perficere." et de episcopis ibidem paullo antea dicit: „e qui„bus rebus episcopi et fideles dispensatores eorum omnibus communem

1) vide Planckium l. c. et Gieselerum l. c. De causa litterarum tempore Ludovici hinc inde neglectarum audias Serv. Lupum (ep. ad Eginhardum): „Nunc, inquit, oneri sunt, qui aliquid discere affectant, et velut in edito sitos loco studiosos quosque imperiti vulgo adspectantes si quidquid in eis culpae deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant, ita, dum alii dignam sapientiae palmam non cupiunt, alii famam verentur indignam, a tam praeclaro opere destiterunt."

1) Holstenii Cod. regul. monast. etc. T. II. et praefat. Tomi I. p. XI sqq.

„vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent prout melius „potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur." et tum addit (pag. 267.): — „res ecclesiae non quasi propriae sed ut communes et Domino oblatae cum „summo timore non in alios quam in praefatos usus sunt fideliter dispen„sandae." vide et pag. 268. et decret. Melchiadis.

Haec autem tempori ejus bene concordare docet Concl. Paris. 829. l. I. c. 15., ubi legitur: „Quod nulli sacerdotum liceat res Deo dicatas „sibique commissas utpote proprias tractare et ad multifarios secundum „libitum suum usus eas retorquere." et Concl. Aquisgran. 836. l. I. c. 7.; II. c. 15.

(Jam supra adnotavimus, Ps.-Isidorum sibi vel ordini suo hic consulere voluisse.)

§. 19.

β. *Episcopis.*

1. *Respectu habito clericorum eis subjectorum.*

Fuisse inter clericos, qui jura episcoporum laeserint aut tempore illo turbido quavis data occasione eis nocuerint, historia testis est.

a. Chorepiscopos enim atque Presbyteros de illorum jure aliquantum sibi arrogasse, e Concl. Aquisgran. 803. Paris. 829. l. I. c. 27 et 47. Meldensi 845. c. 45. (vide et Caroli M. ep. 799. scriptam apud Baluz. T. I. p. 327.) edocemur [1]). Hinc Ps.-Isidorus quoque in Chorepiscopos hacce argumentatione usus acriter invehitur: „Quum, inquit, sacerdotum ordo „sit bipartitus (quod tamen falsum), episcoporum scilicet ac presbyterorum, „cui quaeso adnumerandi sunt Chorepiscopi? Episcoporum? Minime! „Episcopi enim a tribus ad minimum coepiscopis consecrantur, Chorepiscopi „autem ab uno; illi civitatibus tantum, hi vero villis aut castellis prae„ponuntur; nulla igitur alia nisi presbyterorum gaudere debent dignitate „nihilque juris episcoporum sibi arrogare." — Clem. ep. 1 et 3., Anacl. ep. 2 et 3., Fab. ep. 2., Damas. ep. 5., Leonis ep. 88., Felicis IV, 1., Joan. III. unic.

Presbyteris dein Concilium Paris. 829. l. I. c. 47. vetat: „ne relictis „basilicis et episcopali auctoritate contempta contra divinam auctoritatem „et canonicam institutionem in hortis et domibus missarum celebrationes „facere praesumant." Idem Ps.-Isidorus quoque ejusdem Concilii verba usurpans ne fiat in epistola 1. Ps.-Felicis IV. aperte prohibet. Huc etiam spectant verba Ps.-Clem. ep. 3.: „non missas sine episcopi jussu quisquam „presbyterorum in sua parochia agat. — in aliis locis sacrificare et missas „celebrare non licet nisi in his, in quibus episcopus proprius jusserit."

1) Benedicti Levitae narrationem (l. VII. c. 187. cf. Mansi T. XIV. col. 5 et 6. an. 803.), Chorepiscoporum munus in conventu Reginoburgensi plane esse abrogatum, quippe omni historica fide destitutam, commentitiam duco.

b. Si vero vult, ut omnes clerici episcopis obediant (Clem. 1 et 3., Anacl. 1.) neve extra provinciae terminos eos accusent aut calumnientur (Jul. 2. c. 16. 17. 22.), profecto ad tempus suum respicit, quo quisque ab episcopo suo se gravatum existimans, aut alio diverso modo ad odium contra eum excitatus, ad palatium imperatoris vel regum concurrebat et ibi calumniando accusandove damnum ei afferre studebat. Quam ob causam Concilium quoque Paris. 829. l. III. c. 14. statuit: „ne presbyteri ac monachi „ad palatium convolarent et sacris imperatoris auribus importunissimam „molestiam afferrent, sed illinc deterrerentur." vide et Concl. Aquisgran. a. 836. part. II. c. 2. et Ps.-Pelag. II. ep. 2. pag. 632. ubi legitur: „nullus „quoque Monachus talia unquam arripiat nec saecularia aut ecclesiastica „negotia perturbare praesumat." cf. Anacl. ep. 1. pag. 111.: „quicunque „causam habuerit — non ad alienos, causa vagandi, stimulante protervia, „suam despiciens patriam judices transeat." cf. Fab. ep. 2. p. 300. Steph. ep. 2. p. 337.

2. *Respectu habito laicorum ac saecularis potestatis.*

Reges Francorum, praesertim Carolus M., disciplinam ecclesiasticam, per Bonifacium aliquantulum emendatam, in meliorem in dies statum augere studebant. Tantum tamen aberat, ut Carolus vitam moresque sacerdotum corrigendo, ecclesiis earumque ministris divitias atque privilegia condonando (vide Planckium l. c. Gieselerum §. 9.) acquiesceret, ut veteris ecclesiae jus atque institutiones (Gieseler. §. 7.) incaute reduceret. Sane incaute! Marc. 2, 21. Rectores enim ecclesiarum jam minime sacerdotes tantum, sed propter earum opes regni proceres et optimates, cum rege veluti domino ministri arcte erant conjuncti. Nonne autem justum, si hosce ministros dominus sibi eligebat [2]) vel eligendos curabat, malos regiisve praeceptis obedire nolentes honore munereque delato privabat, pessimos quosque gravissimis poenis afficiebat? Hocce vero jure uti et ei contraria veteris ecclesiae instituta rata habere — valde fuit periculosum; his enim innisi sacerdotes regis ac domini potestatem auctoritatemque exuendi causisque saecularibus proterve sese immiscendi optimam nacti sunt occasionem. Resipuit quidem imperator [3]), cujus animo forti recens nata sacerdotum insolentia resistere non audebat, sed accuratius jura ipsorum definire conaturus morte praeventus est. — His igitur rebus Ludovicus pius, imo superstitiosus, omni destitutus animi vigore, regni habenas suscepit. Illico hinc sacerdotes diverso modo in animum imperatoris vim exercere, in negotia publica irruere, civitatem regundi appetitu flagrare; illinc proceres

---

2) Audias tamen Ps.-Anacletum; ep. 2. p. 124.: „licet, inquit, dominus electionem eorum (Episcoporum) bonis sacerdotibus et spiritualibus populis concessisset."

3) Capitulare interrogationis (an. 811. c. 4.) iis quae Carolus M. pro communi omnium utilitate interroganda constituit — „discutiendum est atque interveniendum, in quantum se Episcopus aut Abbas rebus secularibus debeat inserere — interrogandum est acutissime, quid sit quod Apostolus ait: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. —"

regni discordias movere, divitiae ecclesiarum rapi et, quoniam invalidissimus quisque plerumque pro libitu agere paratissimus, ubivis seditiones et factiones actionibus imperatoris oriuntur, et ipso mortuo saevissime reviviscunt; — en Ps.-Isidori elementa!

Ad quantam sint progressi protervitatem summi sacerdotes, docent Concilium Attiniacense 822, Compendiense 833, Aquisgranense 842 et multa alia [4]); sed quanam occasione usi illuc pervenerint, narrant Agobardus et Eginhardus. Audias illum (libell. de Conventu Compend. apud Galland. T. XIII. p. 499.) de stupenda imperatoris animi debilitate dicentem: „mox, „inquit, resuscitata (sc. in Concl. Compend.) in mente ejus contritione „humiliati cordis prostratus coram eis (episcopis) non semel vel iterum, „sed tertio vel amplius crimina agnoscit, veniam poscit, auxilium orationum „precatur, consilium recepit, poenitentiam postulat, injunctam sibi humili„tatem libentissime impleturum promittit." et Eginhardi (l. III. c. 13. Mansi T. XIV. col. 605.) narrationem, qua de illius superstitione sacerdotumque ideo in ipsorum gratiam machinationibus edocemur. Puella enim daemoniaca presbytero latine in exorcizando loquenti latine respondit, se a Satana, tanquam magistro, ad regnum Francorum devastandum esse emissam: „propter malitiam, inquit, populi hujus et multimodas inquietates „eorum, qui super eum constituti sunt sqq." Quibus nunciatis imperator vehementer perterritus statim jejunium celebrari et concilia congregari jussit.

Contra vero et diverso modo impediebantur, quominus, quae spectabant, assequerentur. Tempore illo discordiarum pleno sacerdotes quoque aut harum aut illarum erant partium; inde evenit, ut se ipsos infestarent [5]) et caesis amicis, qui eis conjuncti fuissent a victore sedibus suis pellerentur. Sic Ludovicus an. 818 omnes, qui a partibus Bernhardi contra ipsum steterant, 831 Jessem, episcopum Ambianensem, 835 Ebbonem Rhemensem aliosque honore episcopali privavit. Quomodo privavit? Ope synodorum provincialium, quarum auctoritas inde a tempore Caroli M. indies creverat (Gieseler. §. 7. not. p.). Etsi nonnullos non ita juste damnandos

---

4) Concl. Paris. 829. l. III. c. 26. (Mansi T. XIV. col. 603.) confitetur: „sacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate in saecularibus negotiis et sollicitudinibus mundi ultra modum sese occupasse." Ecce autem arrogantiam Concilii Meldensis 845. (ib. col. 860.) c. 71. postulantis: „Ut auctoritatem sigillo regio roboratam more tractoriae christianissimus princeps singulis donet episcopis, quam quisque episcoporum penes se habeat, ut, quando ei necesse fuerit, per eandem auctoritatem reipublicae ministros conveniat, ut ipsi in quibuscunque civili indiguerit adjutorio reipublicae ministris concurrentibus suum, immo divinum, rite peragere possit ministerium. cf. Concl. Aquisgran. 836. Cap. III. c. 16.

5) Hinc Ps.-Isidori querimoniae: Ps.-Melch. ep. unic. p. 429.: „Audivimus a quibus„dam fratribus, quibus infesti eratis nimis, quod jurgia et discordia sint inter vos." Victor. ep. 2. p. 231.: „Perlatum est aliquos vestrum nocere fratres velle, et ut „cadant decertare." Sixt. II. ep. 1. p. 344.: „Audivimus etiam quod quidam erronei „et consentientes eis te et reliquos infestent episcopos, et episcopos aliquos com„provinciales ad vestram infamationem et damnationem secum trahunt." cf. Alex. ep. 2. p. 173. Anacl. ep. 1. p. 105., Pii ep. 2. p. 197. Felicis II. ep. 1. p. 500.

curaverit [6]), tamen ex consuetudine ipsi etiam in rebus ecclesiasticis summa debita erat potestas, quam non solum hocce, verum et alio modo exercebat. Licebat quidem sacerdotibus eorum ecclesiasticis judicari judicibus, sed si causa ibi definiri non poterat vel si accusatus gravatum sese existimabat, aut ad Comites aut ad palatium (Archicapellanum) deferendum erat negotium [7]) nec non cuivis damnato ad regem vel imperatorem recurrere fuit permissum [8]).

Saeculari igitur potestati etiam in causis ecclesiasticis summa erat auctoritas — id quod Ps.-Isidoro displicuit.

Dein ipsa fortasse sacerdotum insolentia effecit, ut laici optimates in ipsos instigarentur et, quoniam quibus infesti sunt homines, damna quoque inferre solent, quavis data occasione eis nocerent (Ps.-Isid. praef.: „multi „ideo alios accusant, ut se per illos excusent aut eorum bonis ditentur." cf. Zeph. 2. pag. 247. Steph. 2. p. 335.) eorumque praecepta et monita despicerent [9]). Hinc Concilium Aquisgran. 836. Cap. III. c. 20.: „Laici, „inquit, monendi sunt ne sacerdotes contemptui habeant neve eorum monita „despiciant et tam turpiter tractent uti hactenus." et Rhabanus Maurus in epistola e Concilio Moguntino 847. ad Ludovicum missa: „Proh dolor, „inquit, his temporibus nec loca sancta venerantur neque ministri Dei „condigne honorantur, sed versa vice illi, qui honorari debuerunt, flagel„lantur, spoliantur atque diversis calumniis franguntur." (cf. Agobard. de

---

6) De quo et poenitentiam egit imperator in Concilio Attiniacens. 822. vide Eginhardum ad hunc annum. cf. Sixt. II. ep. 2. p. 348.: „fratres, quos timore terreno injuste „damnastis, scitote a nobis juste esse restitutos." Jul. ep. 1. p. 447.: „quatenus „non ita proterve et pro libitu cujuspiam suo proprio arbitrio quibusque Metropoli„tanis, sicut agere solebant, liceat — Episcopos damnare."

7) Capit. Aquisgran. a. 789. c. 37.: „Ut clerici ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, „apud ecclesiasticos judicentur, non apud saeculares." Capit. III. an. 812. c. 2.: „Ut „episcopi, abbates, comites et potentiores quique si causam inter se habuerint ac „se pacificare noluerint, ad nostram jubeantur venire praesentiam." Capit. 819. c. 10. (Mansi T. XIV. append. col, 107.): „ubi vero ex utraque parte ecclesiasticum „negotium fuerit, rectores earundem ecclesiarum si se familiariter velint pacificare „licentiam habeant; si autem de hujusmodi pacificatione inter eos convenire non „possunt, advocati eorum in mallo publico ad praesentiam Comitis veniant et ibi „legitimus terminus eorum contentionibus imponatur." [Hinc Ps.-Isid. commentum supra relatum, Metropolitanos Comitibus esse majores.] Concl. Francf. 794. c. 6. (l. c. T. XIII.): „Statutum est a domino rege et a s. Synodo, ut episcopi „justicias faciant in suis parochiis; si non obedierit aliqua persona episcopo suo de „Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Monachis et ceteris clericis veniant ad Metro„politanum suum et ille dijudicet causam cum suffraganeis suis. Comites quoque „nostri veniant ad judicium episcoporum; et si aliquid est quod episcopus Metro„politanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum „accusato cum litteris Metropolitani, ut sciamus veritatem rei."

8) Caroli Calvi Capit. tit. 40. a. 869. c. 7. (Baluz. T. II. p. 211.): „Ut si Episcopi „suis laicis injuste fecerint et ipsi laici se ad nos inde reclamaverint, nostrae regiae „potestati secundum nostrum et suum ministerium ipsi Archiepiscopi et Episcopi „obediant — sicut temporibus avi et patris nostri justa et rationabilis consuetudo „fuit."

9) Agobardi epist. ad Matfredum. Galland l. c. p. 458.

privil. et jure sacerdot. l. c. p. 433. Concl. Aquisgr. 836. epilog. Mansi T. XIV. col. 696.). Hinc denique patrum Concilii Aquis. laudati querimoniae, quod monita atque praecepta sua quibusdam conficta esse viderentur; dicunt enim in libello ad Pipinum misso (praef. l. c. col. 697.): „si forte quispiam „objicere voluerit haec, quae vobis scripsimus, non ex auctoritate divina „constare, sed potius arbitrio cordis nostri, imo cupiditate et quadam ad-„inventione, commentata esse sqq." cf. Concl. Paris. 829. l. III. c. 10. l. c. col. 599.

Hac rerum conditione commotus Ps.-Isidorus episcopos (et una cum eis omnes sacerdotes) et ab oppressionibus tutos reddere et praecipue a saeculari potestate liberare et super eam eos extollere studet.

1. Episcopis summam tribuens dignitatem potestatemque;

Quemadmodum enim omnes clericos super laicos extollit ep. 1. Clem. p. 16.: „spirituales quosque atque sacerdotes super carnales ac laicos semper „constituendos docebat." ejusd. ep. 2. pag. 73.: „Vestrum est docere po-„pulos, eorum vero est vobis obedire ut Deo." Anacl. ep. 1. p. 106.: „Deo „sacrificantes perfecte non debent vexari, sed portari, consolari et ab „omnibus venerari." ita de episcopis stupenda profert Clem. ep. 3. p. 73.: „Si „autem vobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi ac sub-„diaconi, et reliqui clerici omnesque principes tam majoris ordinis quam „inferioris atque reliqui populi, tribus et linguae non obtemperaverint, non „solum infames sed et extorres a regno Dei et consortio fidelium ac limi-„nibus sanctae Dei ecclesiae alieni erunt." — „omnis homo — qui minime „crediderit doctoribus et episcopis suis non benevolus sed rebellis extite-„rit — similis est arbori illi de qua dominus ait: Omnis arbor, quae non „facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur." his similia, nimi-rum eos esse pupillos, oculos, thronos Dei, vicarios Christi et Apostolorum, quos nemini tangere liceat, ad nauseam usque recurrunt. cf. Clem. 1. Anacl. 2. Alex. 2. Urban. Evarist. 2. Pii ep. 1. Pontian. 1. Fab. 1. Steph. 2. Euseb. 1 et 2. Excerptt. e gestis synodalibus Sylvestri, Jul. 1. Damas. 4. Synod. V. sub Symmacho. Gregor. M. ep. ad Felicem. etc.

2. Laicos omnesque, qui non sint ejusdem conversationis, ab Episcoporum accusatione repellens;

Ps.-Fab. ep. 2. pag. 299. dicit: „sancti apostoli eorumque successores „spiritu Dei repleti malos homines praevidentes et simplices considerantes „difficilem aut nunquam voluerunt esse accusationem sacerdotum ne a „malis potuissent everti aut submoveri, quia si hoc facile concederetur, „*saecularibus et malis* hominibus aut nullus aut vix perpauci remanerent. — „Idcirco statuerunt ne accusarentur aut si aliter fieri non possit, perdiffi-„cilis eorum fieret accusatio." Marcell. ep. 2. p. 300.: „nec laico quemlibet „clericum liceat accusare." Clem. ep. 1. p. 16.: „laicos ab eorum accusa-„tione et vexatione semper repelli debere rogabat (sc. Petrus) — nec „majores posse a minoribus judicari." cf. Pont. 1. Fab. 2. Steph. 2. Euseb. 2. Marcellin. 2. Marcell. 2. Excerptt. e gestis synodalibus Sylvestri — quicunque vero eos accusaverit effamis efficitur Euseb. 1. p. 405.

3. Regi vel imperatori Episcopos per Archicapellanum, synodos provinciales et Comites dijudicandi atque damnandi adimens potestatem.

a. Summa negotia in palatio i. e. ab Archicapellano fuisse tractata vidimus, ibique e diversis regni provinciis accusatores, accusatos et gravatos sese existimantes convolasse [10]). Vetat igitur Ps.-Isidorus,

α. ne quis ad peregrina judicia properet neve extra provinciae terminos episcopum praesumat accusare vel judicare; Ps.-Jul. ep. 2. c. 16. 17. 25. 32. cf. 34. Felic. II. ep. 1. vide et Fab. 3. Steph. 2. all.

β. ne quis episcopum alibi nisi apud Primatem accuset. Ps.-Jul. ep. 2. c. 26. cf. c. 14. Felicis II. ep. 1. c. 1. 3. 8. 17. all.

b. Dignitate Comitum per Ps.-Anacl. (ep. 1. p. 127.) abolita restabat, ut synodorum et Archiepiscoporum potestati, a regia voluntate haud parum fortasse dependenti, fraena injicerentur, idcirco statuit,

α. synodos episcoporum causas tantummodo posse dijudicare, non vero ad finem perducere; Evar. 2., Eleuth. unic., Victor. 1., Zeph. 1., Marcell. 1 et 2., Jul. 1 et 2., Felic. II, 1. all.

β. accusato, si Metropolitanum vel alios judices suspectos habeat, appellare Primatem aut sedem apostolicam esse licitum; Ps.-Jul. ep. 2. c. 2. 3. 4. 17. 22. 32. Felic. II, 1. c. 19. cf. Victor. all.

γ. damnatum a synodo et sine auctoritate apostolica rejectum, a Papa esse restituendum. Ps.-Eleuther., Zephyrin., Felic. II, 1., Jul. 2. p. 471 et 493. all. Quia vero plerumque ejectorum sedes statim aliis tradebantur, episcopus depulsus igitur ibi restitui non potuit (sicuti Ebbo), fingit Ps.-Isid. (nam id erat vetitum) necessitate coactum ad aliam sese debere conferre ecclesiam praesertim auctoritate apostolica aut episcopis ceteris consentientibus. Evarist. 2. Calist. 2. Anter. unic. Pelag. II, 1.

4. Episcopis tribuens jus omnia provinciae suae dijudicandi negotia. — Audias Ps.-Pelagium II. ep. 8. haecce statuentem: „De caetero, fratres, „super provinciae causa, unde sedem apostolicam dudum consulere voluistis, „videtur nobis sufficienter tractatum a ss. praedecessoribus nostris; sed „quia denuo nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum „duxistis, scitote certam provinciam esse, quae habet decem vel undecim „civitates et unum regem [11]) et totidem minores sedes sub se; et unum

---

10) Concl. Aquisgran. 836. Cap. III. c. 7.: „Didicimus sane nonnullos episcoporum a „quibusdam personis clam temeraria detractatione accusatos atque detractos sine „approbatione tamen. — Idcirco obnixe precamur, ut si aliquis deinceps accusator „annisus fuerit aliquem excessum in episcopali ordine rite reprehendere et ad aures „imperiales perducere, ut non facile per cujuscunque personam officium tanti mini„sterii in aliquo vilescere videatur."

11) i. e. unaquaeque provincia non diversis regibus sit adscripta, sed integra unius regis ditioni sit subjecta. Spectabat igitur Ps.-Isidorus ad conditionem temporis sui, qua provinciae sive dioeceses non semper ad unum pertinebant regem. cf. Hincmar. Rhemens. de primatu Ansegisi c. 22. T. II. Opp. p. 782.

„Episcopum aliosque suffragatores decem vel undecim episcopos judices „*ad quorum judicium* omnes causae episcoporum et reliquorum sacer-„dotum *ac civitatum causae* referantur." cf. Anacl. 1. Zeph. 1. cf. Capitt. l. VI. c. 366.

§. 20.

γ. *Archiepiscopo Moguntino.*

Quo melius ad scopum suum perveniat, regni sui ecclesiis, e saeculari potestate eximendis, ecclesiasticum largitur ducem atque inspectorem. Ornat hunc novum praetorem nomine Patriarchae vel Primatis, nam Anaclet. ep. 2. p. 127. dicit: „Patriarchas vel Primates unam formam tenere, licet diversa sint nomina"; deinde definit, quibus quis conditionibus hocce frui debeat titulo, ep. 1. enim Clementis p. 15.: „In his, inquit, civitati-„bus, in quibus olim apud ethnicos archiflamines eorum ac primi legis „doctores erant, episcoporum Primates poni vel Patriarchas." et in ep. 2. Julii cap. 12. statuit: „Quod non aliae Metropolitanae ecclesiae primates „sint, nisi illae, quae prius primates erant et post Christi adventum aucto-„ritate apostolica et synodali primatum habere meruerunt." dein cap. 12. ep. 1. Felicis II.: „Primates illi et non alii sunt, quam in Nicaena synodo „sunt constituti." denique ep. unica Aniceti p. 203.: „Nulli Archiepiscopi „Primates vocentur nisi illi, qui primas tenent civitates, quarum episcopos „Apostoli et successores Apostolorum regulariter Patriarchas vel Primates „esse constituerunt; nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui „necesse sit propter multitudinem eorum (Episcoporum) Primatem con-„stitui. Reliqui vero, qui alias Metropolitanas sedes adepti sunt, non „Primates sed Metropolitani (aut Archiepiscopi Clem. 1.) nominentur."

Quonam vero jure fruatur ille Primas? Respondeat epistola Aegyptiorum ad Felicem II. p. 497., ubi legitur: „Nam, ut omnes Metropolitani „et reliqui episcopi sua odia aut vindictas in reliquos episcopos exercere „non valeant, ideo nominatim in Nicaena synodo expressi sunt Primates, „*qui reliquos episcopos audire et judicare debeant*, ne ulla fraus in „judicia episcoporum possit irruere" et paullo ante (p. 493.): „Porro et „ipsi Primates, *qui episcoporum et summorum ecclesiasticorum nego-„tiorum causas suscipere debent*, in Nicaena synodo sunt nominati, ne in „posterum contentio ex hoc oriretur." En habes summam alias pluribus dilatatam. Ne multa, quidquid heroi suo, secundo omnino post Papam, tribuit, tribus ex partibus corrasit.

De jure primum Exarchorum (Concl. Chalced. c. 9 et 17.) excerpsit facultatem lites episcoporum cum Metropolitano dijudicandi eorumque appellationes suscipiendi. Anicet. unic. p. 203., Victor. ep. 1. p. 217., Sixti II. ep. 1. p. 345., Felic. I. p. 354., Jul. ep. 2. c. 4.

De juribus deinde Vicariorum (Leonis ep. ad Anastas., Zosimi ad Patroclum, Coelestini I. ad Rufum, Sixti III. ad patres concilii Thessal. vide et Sergii II. ep. ad episcopos transalp.) desumsit illud, majora dijudi-

candi negotia aut sedis apostolicae terminandi auctoritate, illud quoque judices eligendi et, quod Bonifacio concessum fuit, concilia convocandi. Anacl. 1., Jul. 2., c. 34., Steph. 2., Felic. I, 2.

De ecclesiae Africanae denique Primatibus (qui longe alii erant ac Ps.-Isidoriani) deduxit haec: a. Concl. Carth. III. c. 7. praecipitur: „ut, quisquis episcoporum accusetur, ad Primatem provinciae causam deferat „accusator." hinc Steph. ep. 2. pag. 336.: „si prohiberi, inquit, non „poterunt accusationes episcoporum ad Primates debent ab accusatoribus „deferri." cf. Felic. II. ep. I. c. 8. b. secundum c. 10. ejusdem Concilii Lucius, ep. unic. p. 322., et Julius, ep. 2. c. 22. statuunt: „ut a quibus-„cunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est „major auctoritas, fuerit provocatum, audientia non negetur."

Cuinam vero licuit tam eximium affectare honorem? num simplici Metropolitano? imo honoratissimo tantum! Nullus tamen tunc temporis majori dignitate Moguntino gaudebat Archiepiscopo; nam, ut Blascus ex Serario notavit, Moguntia secundum annall. Fuldens. ad an. 719. metropolis Germaniae fuit; dein archiepiscopi Moguntini Caroli M. et Ludovici pii aetate post Archicapellanum primum semper locum tenebant, id quod probatur diversis documentis actisque scriptis, quibus hi primi post illum nomina subscripserunt, nimirum a. breviario divisionis thesaurorum Caroli M. 811 (Mansi T. XIV. col. 28.). b. Concilio Moguntino 813 (ib. col. 64.). c. apud Theodonis villam 821 (ib. 390.). d. apud Theodonis villam 835, ubi tamen Hettius ante nomen subscripsit (ib. 660. vide Blascum). e. Carisiacensi 837 (ib. col. 740.). f. Aquisgran. 838. g. Engilenheimensi 840 (ib. col. 774.). Quin ipse Otgarus Herioldum, regem Daniae, in conventu Ingelheimensi inauguratione baptismali in Christianorum societatem suscepit.

In Chronico denique Mariani Scoti ad an. 750. narratur: „Pipinus „vero in civitate Suessionum a s. Bonifacio archiepiscopo in regem unctus „regni honore sublimatus est; deinde ob id post Papam secundus habitus „Moguntinus archiepiscopus usque in hodiernum diem." — Quadratne vero Ps.-Isidori de sedibus primatialibus in Moguntinam? Id quod incertum de narratione, Primates a Concilio Nicaeno esse constitutos et singulatim nominatos, suspicari tamen licet, etiam hac de re confictum quoddam fuisse diploma, quia impostor in ep. 3. Anacleti, ubi primas sedes voluit enumerare, tribus nominatis statim exclamat: „reliquas vero, in „quodam tomo prolixitatem vitantes epistolae, conscriptas vobis direximus."

Porro incertum de Primatibus ab Apostolis constitutis, nisi fortasse sanctum Crescentem a Petro, ut volunt (Rupert. Tuitiens. de divinis officiis l. I. c. 27.), Moguntiam missum velis intelligere, cui tamen non concordat Ps.-Clementis ep. prima, qua legitur: „aliquos (episcopos) vero ad Gallias Hispaniasque mittimus et quosdam ad Germaniam — dirigere „cupimus." Incertum de antiquitate Moguntiae, licet Serarius inde a Drusi temporibus originem ejus derivandam censeat. Jam dicat forte quispiam, Ps.-Isidorum illa omnia sibi secundum Leonis I. epist. 84. excogitasse! — concedas! Hoc unum certe mirum quantum convenit: „nisi aliqua gens

deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem eorum primatum constitui." Quis enim nescit, accuratissime id concordare cum epistola Zachariae ad Bonifacium (Würdtw. ep. 83. p. 241.), qua scriptum est: „Auctoritate b. Petri apostoli sancimus, ut supra dicta ecclesia „Moguntina perpetuis temporibus tibi et successoribus tuis in Metropolin „sit confirmata, habens sub se has civitates .,... *et omnes Gentes Ger-„maniae*, quas tua fraternitas per suam praedicationem Christi lumen „agnoscere fecit." Convenit fortasse et descriptio provinciarum in epistola 8. Pelagii II. (cf. §. 19, 4.), supra exhibita, nam Rhabanus Maurus in epistola synodali ad Ludovicum an. 847. (Mansi T. XIV.) dicit: „nos „humillimi famuli vestri, Rhabanus videlicet, Moguntiacensis ecclesiae „indignus archiepiscopus, cum coepiscopis meis, qui ad praedictae ecclesiae „dioecesin pertinent, hoc est, Samuele, Egorbaldo, Baturato, Hebone, „Gorbratho, Hemmone, Waltgario, Ansgario, Otgario, Lantone, Salo-„mone, et Gebehardo." sed hoc missum faciamus, quia et ex epistola Gregorii M. ad Augustinum (ep. 65. l. XI. indict. 4.) haustum esse potuit.

Hunc igitur (sc. sub Bonifacio) pristinum sedi Moguntinae Autgarus reducere voluit statum, quo non tam honoratus et post Archicapellanum secundus, quam summa indutus potestate primus regni, certe Germaniae, pontifex evaderet. Quem quidem gloriae appetitum suspicari licet, ex eo quod vicem sedis apostolicae in illis partibus a Gregorio IV. fortasse impetrare voluerit, nam in epist. Gregorii ad illum (Würdtw. ep. 137.) legitur: „Quod nos tanto amore ac benevolentia diligitis, plus hoc vestra „sanctitas quam nostra merita faciunt, quod tamen maxime muneribus „directis agnovimus, pro quibus maximas vobis gratias agimus, quia totum „erga sedis apostolicae praesulem, ut condecet, curatis impendere, cujus „nos vicissitudinem Deo volente sanctitati vestrae supplere studemus." Blondellus (prolegg. V. p. 26.) testimonium incerti auctoris affert nimirum: „Autgario Gregorium vices suas in Germania aliquando commisisse." attamen ex Hincmaro (Opp. T. II. de jure Metrop. c. 20—30. p. 731—736.) et epistola mox recitanda hocce refellitur. Voti igitur sui compos non factus alio modo auctoritatem suam contra Archicapellanum defendere debebat. Hanc igitur ob causam in palatio commorari ibique illius ad minimum potestatem participare voluit. Quo tamen gaudio ab ipsa plebe Moguntina privatus est petente a Ludovico, ut eum remitteret: „propter „nimiam necessitatem, quae quotidie in ipsa parochia grassetur absente „diu et procul suo pastore —" (cf. Würdtw. 139. Serar. 117.).

His rebus commotus et quia post mortem Ludovici pii meliorem statum sperare non poterat, enixis viribus auctoritatem, quam inhiabat, pristinam contra Archicapellanos defendere sibique ipsi summam totius Germaniae ecclesiarum potestatem arripere studet [12]). Hoc ex eo quoque

12) Fortasse Ps.-Isidorus morem quoque temporis sui oppugnat atque debellat, quo scilicet ducti Metropolitani sese Primates, immo Patriarchas, nominabant, quo autem Otgarus suae sedi haud parum derogari credidit. cf. decretum Ludovici pii apud Theodonis villam. Mansi T. XIV. col. 391. Concl. Paris. 829. l. I. c. 17. Hincmar. T. II. p. 721.

elucet, quod dogma illud de Primatibus in capitularia etiam transferendam curaverit, nam VII° libro ad nauseam usque repetitum invenies.

Denique ab hoc inde tempore praesulum Moguntinorum auctoritatem et potentiam in dies crevisse notum est [15]). Quin studium eorum Bonifacii auctoritatem atque honorem recuperandi postremo felici successu non caruit; nam Leo VII. petenti archiepiscopo, nomine Friderico, vices suas per totam Germaniam commisit. En ejus epistola (Codicis Carlsruhan. ep. 96. apud Würdtw. ep. 167.): „Quia in vestris litteris nostrum apostolatum expetere „voluistis, quatenus nostra auctoritate vicarius et missus nostrae apostolicae „sedis totius Germaniae Vos concedamus esse, et quod asseritis, quia „prisci Moguntinae sedis Metropolitani a nostra apostolica sede ex aucto„ritate beatissimi Petri apostolorum principis vicarii et missi apostolici „totius Germaniae fieri meruerunt: scitote nos diligenter in scrinio sanctae „ecclesiae nostrae privilegiorum scedas, quae a praedecessoribus nostris, „duobus videlicet Gregorii, Zachariae et Stephani, ut asseritis, Bonifacio „Vestrae sedis antistiti apostolica roboratione esse concessa, sub diligenti „cura et vehementi sollicitudine ..... percipimus et unam scedam cum illa „auctoritate tantum potuimus invenire — ... ex auctoritate b. Petri apo„stolorum principis damus Vobis potestatem, ut sitis noster vicarius et „missus in cunctis regionibus totius Germaniae." Quin Joannes XII. episcopo Wilhelmo vices suas per totam Germaniam atque Galliam tradidit. (cf. ibid. ep. 168 et 169.).

---

13) Sic Luitpertus Arnulfum a se et ceteris proceribus electum 887 in regem unxit. De Sunzone, Hattone et ceteris vide Serar. et codicem Mogunt. supra laudatum.

Quibus dictis elucet Ps.-Isidorum temporis sui conditionis ratione habita ecclesiae suae ejusque ministris ita praesertim consulere voluisse, ut non tam ab oppressionibus tutos redderet, quam auxilio Romanae sedis a potestate saeculari eos liberaret et super eam extolleret. Num vero Romano pontifici plus minusve tribuerit, id nihil refert, certe tantum ei largitus est, ut merces non respuerit — sed tantum quoque, ut ipsius consilium postea saevissime eluserit

---

CORRIGENDA.

Quamvis quam maximo studio à vitiis typographicis cautum sit, nonnulla tamen oculorum aciem effugerunt; quorum quae adhuc reperta sunt, hoc loco notamus.

pag. 25. lin. 2. a fine lege *tripartitam* pro *tripertitam*.
— 32. — 8. lege *est major* pro e stmajor.
— 88. — 4. a fine lege *iniquo* pro inique.



